

13-14 a 69

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google





SYNTAGMA
VARIARVM
ECCLESIAE
DEFINITIONVM:

Del P. Filippo Grutieri de' Min.
Comprato giuli 4. Aple 1695
tom. 4

Digitized by Google

Digitized by Google

SYNTAGMA
VARIARVM ECCLESIÆ
DEFINITIONVM,

In materia fidei, & morum, à sæculo quarto, ad præsens vsque tempus editarum;

Quas collegit, in ordinem digessit, & plerisque in locis, celebrium Authorum notis illustrauit,

Frater Franciscus Porterus, Ordinis Min. Prouinciæ Hiberniæ, in Collegio Sancti Isidori de Vrbe, Sacræ Theologiæ Professor Primarius. Cum duplici Indice tam titulorum, quam rerum, & verborum.









ROMÆ, Typis Reu. Cam. Ap. M.DC.LXXXI.

Superiorum permissu, & Priuilegio.

Digitized by Google

Imprimatur.

Si videbitur Reuerendiss. P. Sacri Palatij Apost. Mag.

I. de Ang. Archiep. Vrb. Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Raymundus Capisuccus Ordinis Præd. Sac. Pal. Apostolici Magister.


Digitized by Google

EMINENTISS.^MO ET REV.^MO PRINCIPI

PALVTIO DE ALTERIIS

S. R. E. Cardinali, & Camerario

Regni Hibernia Protectori vigilantissimo &c.





VMINARE Supremum Mundi huius Ecclesia Catholica, Eminentissime Princeps, in hac mole non magna, relata de errorum tenebris prodit tropheą; Specula scilicet Domini, superno illustrata splendore fideles ducit, & reducit incolumes, & de exenteratæ veritatis visceribus, remedium eruit cœcitatis; ne toties per auia, per deuia, mortales currant præcipites; ignorantiæ nebulas fidei, obiecta face dispellit; hac equidem specula mundus indiguit, ex qua malesuadæ profundum inscitiæ, acutius despiceret, vt cæcutientem dedoctus sapientiam, scientiā salutis edoceretur. Quoties vero nouam suscitauit caliginem, aberrandi libido, toties hæc, pulsa caligine, serenitatem restituit; quot hic exhibentur oracula,

ſciſcitantibus reddita: tot prodeunt lumina ſinceræ veritatis tramitem quærentibus prælata, vt proinde in ſpem ſecuri portus ſe poſsint erigere, quotquot dubio doctrinarum fluctuant in pelago: in hoc ipſo exiguo opere, eminet ea religionis catholicæ lux; ad quam qui ſuum dirigunt iter, nouo cynoſuræ lumine non egeant; prodit idcirco Eminentiſs. Princeps, in lucem, ſub auſpicatis ſyderibus tuis, qui Hiberniæ noſtræ, ſub tua, conſtitutæ, tutela, beneficum ſydus affulges, qui auitæ ſtyrpis, & meritorum tuorum ſplendore, in tanta dignitate, tam clare refulges, vt igitur huius operis patrociniũ ſuſcipias, facile exorari te ſines, quod religioni tam addictus veræ, quam infenſus fucatæ in incrementa catholicæ fidei, vota ſerio collimes, & Chriſtianæ promouẽdæ reipublicę operam ſolerter impendas; quare hoc etiam titulo opus hoc Eminentiſs. Princeps, tuo nomini ex animo offert, dedicatque Eminentiæ tuæ.

Humillimus Cliens

Fr. Franciſcus Porterus.

PRÆ-

PRÆFATIO
AD LECTOREM

IN hoc Syntagmate habes, beneuole lector, ea fere omnia militantis Ecclesiæ oracula, quæ illa contra insurgentes nouitates, à duodecim Sæculorum decursu edidit: magistri enim prurientes auribus cœlestis huius Ciuitatis fundamenta, in duodecim Symboli articulis iacta, concutere moliti sunt; igitur Symoniaci, Menandriani, Basilidiani, Valentinistæ, Marcionistæ, Manichæi, Gnostici articulum primum oppugnarunt; post hos Paxeas, Noetus, Sabellius, Photinus, Arius, Eunomius Ventilarunt articulum secundum; deinde Nestorius, Theodorus Mopsuestenus, Eutyches, Dioscorus conuellere tentarunt articulum tertiū, quartum, quintum, sextum, septimum; quibus succinuerunt Petrus Gnaphaus, Seuerus Antiochenus, Iulius Halicarnassæus, Iacobus Syrus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, Paulus Constantinopolitanus, qui omnes varijs machinis subruere voluerunt Mysteria Trinitatis, Incarnationis, Passionis, Resurrectionis, extremique iudicij: stetit interim intrepida totis castris per tot orthodoxa conci-

lia, per tot salutaria Decreta aduersus hos Catholica Ecclesia, unde coacti sunt receptui canere: post prædictos castrametati sunt noui hostes contra redemptionis nostræ beneficia, auxilia gratiæ, merita operum, contra Ecclesiam, Sacras traditiones, ritus, sacramenta, nimirum Pelagiani, à quorum damnatione in hoc opere exordior, prædestinatiani, Berengariani, Petrobusiani, Albigenses, Begguardi, Vviclefistæ, Hussitæ, lutherani, caluinistæ, & alij hos sequuti, ac latrare cæperunt contra nonum, & decimum articulum, Ecclesiam nempe catholicam; communionem Sanctorum, remissionem peccatorum, horum profligationem hoc opus speciatim complectitur; altius ascendere non videbatur necessarium: in Europa enim nostra, non adeo multi audiuntur, qui aperto marte nunc impugnent priores articulos; potissima lucta est cum ijs, qui mysteria posterius recensita impetunt, quos hæc decreta percellunt, ea tu amice lector, in hoc Syntagmate, velut promptuario collecta, æquibonique consule & Vale.

Facultas Ordinis.

Fr.

Fr. Petrus Esporrin Ordinis Minorum Regularis Obseruantiæ Lector Iubilatus, exsecretarius Generalis, Prouinciæ Aragoniæ Pater, Sancti Officij eiusdem Regni, & Vniuersalis Inquisitions Romanæ qualificator; in Romana Curia eiusdem Ordinis Procurator Generalis, necnon Collegij Sancti Isidori de Vrbe, ac Conuentus Capranicensis Fratrum Hibernorum eiusdem Instituti cum plenitudine potestatis Superior &c. Dilecto Nobis plurimum in Christo P. Fr. Francisco Portero eiusdem Instituti, & in prædicto Nostro Collegio Sancti Isidori Primario Sac. Theologiæ Lectori salutem in Domino &c.

CVm opus a te compositum, & elaboratum, cuius titulus est: SYNTAGMA VARIARVM DEFINITIONVM &c. Theologi quibus iuxta Apostolicas, nostrique Ordinis Constitutiones commisimus, reuiderint, & luce dignum iudicauerint; hinc est quod præsentium tenore ad salutaris Obedientiæ meritum licentiam tibi quãtum ad nos attinet impartimur, vt illud typis mandare possis, seruatis Sacri Concilii Tridentini, & Nostri Seraphici Ordinis Constitutionibus. Datum Romæ in Conuentu Aracælitano die 6. Decembris Anno 1680.

Fr. Petrus Esporrin Proc. Gen. Ordinis.

Loco ✝ signi.

De mand. suæ A. R. Patern.

Fr. Petrus Argenao Sec.) Gen. Curiæ.

Digitized by Google

INfrascripti Collegij S. Isidori de Vrbe Fratrum Minorum S. Francisci Prouinciæ Hiberniæ S. Theologiæ Lectores actuales, ex commissione Reu. Admodum P. Petri Esporrin in Curia Romana Procuratoris Generalis Ordinis, & præfati Collegij Superioris, perlegimus librum, cui titulus est SYNTAGMA VARIARVM DEFINITIONVM FIDEI compositum à R. P. Francisco Portero Sac. Theologiæ Lectore Iubilato, & in eodem Collegio Primario Professore, in quo nihil fidei aut bonis moribus inuenimus contrarium; imò eũ communi bono utilissimum, & Typis dignissimum censemus. Datum Romæ in præfato Collegio hac die 4. Decembris 1680.

Frater Michael Tonerus Lector vt supra.
Fr. Bonauentura Breannagh S. Theologiæ Lector &c.

INDEX

INDEX

TITVLORVM:

CAP. I.

CAP. II.

CAP. III.

CAP. IV.

CAP. V.

CAP. VI.

CAP. VII.

Adno-

CAPUT I.

CAPUT II.

stri

CAP. X.

CAP. XI.

CAP. XII.

CAP. XIII.

CA-

CAP. XIV.

Sess.25.

CAP. XV.

CAP. XVI.

CAP. XVII.

Con-

CAP. XVIII.

CAP. XIX.

S.D.N.

CAP. XX.

CAP. XXI.

CAP. XXII.

CAP. XXIII.

CAP. XXIV.

Retra-

Digitized by Google

CAP. XXV.

CA-

CAP. XXVI.

CA-

CAP. XXVII.



Digitized by Google

CAPVT I.

Damnatio Hæresis Pelagianæ.

Concilium Milenitanum II. contra Pelagium, & Cælestium, sexaginta Episcoporum; Theod. VII. & Palladio Coss. celebratum sub Innocentio Papa I. anno Christi 416.

1 PLACVIT ergo omnibus Episcopis, qui fuerunt in hac Sancta Synodo, constituere hæc, quæ in præsenti Concilio definita sunt: vt quicumque dicit Adam primum hominem mortalem factum, itaut siue peccaret, siue non peccaret, moreretur in corpore, hoc est de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit.

2 Item placuit, vt quicumque, paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lauacro expietur, vnde sit consequens, vt in eis forma baptismatis, in remissionem peccatorum, non verè, sed falsè intelligatur, ana-

thema sit. Quoniam non alitèr intelligendum est, quod ait Apostolus, Per vnum hominem; peccatum intrauit in mundum,& per peccatum mors,& ita in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccauerunt, nisi quēadmodum Ecclesia Catholica, vbique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei, etiam paruuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideò in peccatorum remissionem veracitèr baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.

Rom. 5.

3 Item placuit, vt quicumque dixerit gratiam Dei, in qua iustificamur, per Iesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, quæ iam commissa sunt, non etiam ad adiutorium, vt non committantur, anathema sit.

4 Item quisquis dixerit, eamdem gratiam Dei, per Iesum Christum Dominum nostrũ, propter hoc tantum, nos adiuuare, ad non peccandum, quia per ipsam nobis reuelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, vt sciamus quid appetere, quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præstari, vt quod faciendum cognouerimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema sit. Cùm enim dicat Apostolus, scientia inflat, charitas verò ædificat; valde impium est: vt credamus ad eam, quæ inflat, nos habere gratiam Christi: ad eam, quæ ædificat, non habere: cùm sit vtrumque donum Dei, & scire quid facere

1. Cor. 8.

de-

debeamus, & diligere vt faciamus, vt ædificante charitate, scientia non possit inflare. Sicut autem de Deo scriptum est, Qui docet hominem scientiam, ita etiam scriptum est, Charitas ex Deo est. *Psal.93.* *1. Io.4.*

5 Item placuit, vt quicumque dixerit, ideò nobis gratiam iustificationis dari, vt quod facere per liberum iubemur arbitrium, faciliùs possimus implere per gratiam, tanquam etiã si gratia non daretur, non quidem facilè, sed tamen possimus etiam sine illa, implere diuina mandata, anathema sit. De fructibus etiam mandatorum Dominus loquebatur, vbi non ait, sine me difficiliùs potestis facere: sed ait sine me nihil potestis facere. *Io.15.*

6 Item placuit, quod ait Sanctus Ioannes Apostolus, si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est; quisquis sic accipiendum putauerit, vt dicat propter humilitatem oportere dici, nos habere peccatum, non quia verè ita est, anathema sit. Sequitur enim Apostolus, & adiungit, si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est & iustus, qui remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate, vbi satis apparet hoc non tantùm humiliter, sed etiam veraciter dici. Poterat enim Apostolus dicere, si diximus, quia non habemus peccatum, nos ipsos extollimus, & humilitas in nobis non est; Sed cum ait, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est, satis ostendit, eum qui se dixerit non habere *1. Io.1.*

peccatum, non verum loqui, sed falsum.

7 Item placuit, vt quicumque dixerit in oratione Dominica, ideò dicere Sanctos; dimitte nobis debita nostra, vt non pro seipsis hoc dicant, quia non est in eis iam necessaria ista petitio, sed pro alijs, qui sunt in suo populo peccatores: & ideò non dicere vnumquemque Sanctorũ, dimitte mihi debita mea, sed dimitte nobis debita nostra, vt hoc pro alijs potiùs, quàm pro se iustus petere intelligatur, anathema sit. Sanctus enim, & Iustus erat Apostolus Iacobus, cùm dicebat, in multis enim offendimus omnes. Nam quare additum est, omnes, nisi vt ista sententia conueniret, & Psalmo vbi legitur: Non intres in iudicio cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens? Et in oratione Sapientissimi Salomonis: Non est homo qui non peccet, & in libro Iob: In manu omnis hominis signat, vt sciat omnis homo infirmitatem suam. Vnde etiam Daniel Sanctus, & Iustus, cum in oratione pluralitèr diceret, Peccauimus, iniquitatem fecimus, & cætera, quæ ibi veraciter, & humiliter confitetur, ne putaretur quemadmodum quidam sentiunt, hæc non de suis, sed de populi sui potiùs dixisse peccatis, posteà dicit, Cum orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Domino Deo nostro, noluit dicere peccata nostra, sed & populi sui dixit, & sua, quia futuros istos, qui tam malè intelligerent, tanquam Propheta præuidit.

Iacob. 3. *Ps.* 142. 3. *Reg.* 8 2. *Par.* 6. *Eccl.* 7. *Iob* 37. *Dan.* 9. *Dan.* 9.

Item

8 Item placuit, vt quicumque, quinque verba ipsa Dominicæ orationis, vbi dicimus, dimitte nobis debita nostra: ita volunt à Sanctis dici, vt humiliter, non veraciter, hoc dicatur, anathema sit. Quis enim ferat orantem, & non hominibus, sed ipsi Domino mentientem, qui labijs sibi dicit dimitti velle, & corde dicit, quæ sibi dimittantur, sed debita non habere? hucusque de fide contra Pelagianos, nunc regulæ tractentur Ecclesiasticæ, &c. *Matt.6.*

ADNOTATIONES.

Ex Cardinali Baronio, & Seuerino Binio de occasione Mileuitanæ Synodi, deque Hæresis Pelagianæ ortu, progressu, fallendi artibus, iterata condemnatione, per Paragraphos diuisæ.

§. I.

Ortus Pelagianæ Hæresis.

PElagius Britannus, & Cælestius eius discipulus, post armiger, & antesignanus, deinde & ipse etiam Hæresiarcha, errores suos seminare cœperunt sub Sancto Innocentio Primo Summo Pontifice, sub initio sæculi quinti, nempè circa annum 405. hinc idem Sanctus Pontifex fuit primus, qui veritatem Catholicam contra eosdem Hæresiarchas stabiliuit, vt habet Cardinalis Baronius tomo 5. Annalium de Actis Innocentij passim, Seueri-

nus Binius tomo 1. Conciliorum, Suares de gratia 1. par. Prolog.6. cap.1.

§. 2.

Progressus Hæresis Pelagianæ.

Cardinalis Baronius ad annum 410. Talis, inquit, erat hoc tempore ſtatus Hæreſis Pelagianæ, vt cum propalarentur errores, Authores tamen latere cuperent, hacque de cauſa Inſulas ad docendum elegerint, duaſque ſimul peſtilentiæ cathedras erexerint, alteram, vt habet S. Hieronymus epiſt. ad Creſiphon. in Sicilia ad decipiēdos Occidentales; In Rhodo Inſula, alteram, ad corruptionem Orientalium populorum. Hinc videtur perrexiſſe Hieroſolymam Pelagius, quod verò ibidem habitare tandem elegerit, inquit Baronius ad annum 417. illud animi eius conſilium fuiſſe creditur, vt ibi moraretur, quo ex toto orbe Chriſtiano concurrerent gentes, vt ibi errores docens, vniuerſam ſimul totius orbis Eccleſiā macularet. Vti Pelagius conceſſit in Palæſtinam, vt inde etiam Aſiam inficeret, ſimili cōſilio credit Binius tomo 1. concil. Cæleſtium ſeſe contuliſſe in Africam, vt ibi ſuos propagaret errores, ſic diſcurrit ille præfato tomo pag.701. vbi in quodam Carthaginenſi Concilio (cuius exemplar non exſtat) vtrumque Hæreticum fuiſſe condemnatum, ante habitam Dioſpolitanam Synodum, ibidem opinatur Binius.

Pe-

§. 3.

Pelagij errores in Diospolitana Synodo recensiti, eique obiecti, illius fallendi artes ibidem; Sanctorum Innocentij, & Augustini de eadem Synodo sententia, apud Baronium, & Binium.

Cardinalis Baronius tomo 5. ad annum 415. Diospoli, inquit, (ipsa est Lydda antiquiori nomine dicta, Ciuitas in Palæstina) collecta est Prouincialis Synodus Episcoporum eius regionis; huius meminit Augustinus lib. 2. retract. cap. 47. Per idem tempus, inquit Sanctus, in Oriente, hoc est in Syria Palæstina, Pelagius à quibusdam Catholicis fratribus, ad Episcopalia gesta perductus, eisque absentibus, qui de illo libellum dederunt, quoniam ad diem Synodi non potuerunt occurrere, ab Episcopis quatuordecim auditus est, vbi eum dogmata ipsa damnantem, quæ inimica gratiæ Dei, aduersus eum de libello legebantur, Catholicum pronunciauerunt; hæc ille. quænam veró fuerint illa Pelagij dogmata, ibidem lecta de præfato libello, recenset idem S. Augustinus epistola centesima sexta, & ex ipso, Didacus Aluarez de auxilijs, sunt veró sequentes errores.

1 Adam siue peccaret, siue non peccaret, moriturus esset.

2 Quod peccatum Adæ ipsum solùm læserit, & non genus humanum.

3 Quod infantes recenter nati,in illo ſtatu ſint, in quo Adam fuit ante ſuam præuaricationem.

4 Quod neque per mortem, neque per præuaricationem Adæ, omne genus humanū moriatur, neque per reſurrectionem Chriſti, omne genus humanum reſurgat.

5 Quod infantes etiam non baptizati habeant vitam æternam.

6 Quod diuites baptizati,niſi omnibus abrenuntient, ſi quid boni videntur facere, non reputetur eis, nec poſſint habere Regnum Dei.

7 Gratiam Dei, atque adiutorium, non dari ad ſingulos actus,ſed in libero arbitrio eſſe, vel in lege, atque doctrina.

8 Dei gratiā ſecundum merita noſtra dari.

9 Filios Dei non poſſe vocari, niſi omninò abſque peccato fuerint effecti.

10 Non eſſe liberùm arbitrium, ſi Dei indiget auxilio, quoniam in propria voluntate, habet vnuſquiſque facere aliquid, vel non facere.

11 Victoriam noſtram, non ex Dei adiutorio eſſe, ſed ex libero arbitrio.

12 Quod pœnitentibus venia non detur ſecundùm gratiam, & miſericordiam Dei,ſed ſecundùm meritum, & laborem eorum, qui per pœnitentiam digni fuerint miſericordia.

Hi articuli fuerunt Pelagio obiecti in illa Synodo, quos niſi anathematizaſſet, fuiſſet ana-

anathematizatus, quas assertiones D. Augustinus præfata epist. 106. ostendit esse contra doctrinam, quam semper tenuit Catholica Ecclesia: ab his erroribus Pelagius dolosè, & per fucatas amphybologias se purgauit, & Synodum decepit, vt habet Augustinus lib. 2. de gratia Christi, & peccato originali cap. 8. fefellit iudicium Palæstinum ipse Pelagius, propterea ibi videtur esse purgatus. Quid autem tentauerit Romæ facere prædictus hæreticus, quidue Innocentius Pontifex de Synodo Palæstina senserit, narrat breuitèr ibidem S. Augustinus. Romanam verò Ecclesiam, vbi eum notissimum esse scitis, fallere vsquequaque non potuit, quamuis hoc fuerit vtrumque conatus, nempè tunc, vt vult Binius tomo 1. parte 1. ex Baronio, eo tempore, quo Vrbs à Gotis capta fuit, absente Innocentio, clanculo hæreses suas velamento quæstionum occultatas, disseminare cœpit. Pergit Augustinus cap. 9. narrans Innocentij sententiam, ex eius epistola, quæ inter Augustinianas est 92. Verùm cum sint aliqua (inquit Innocentius) in ipsis posita gestis (Palæstinæ scilicet Synodi) quæ obiecta partim ille vitando suppressit, partim multa in se verba retorquendo, tota obscuritate confudit; aliqua magis falsis argumentis, quàm vera ratione (vt ad tempus videri poterat) purgauit; alia negando, alia falsa interpretatione vertendo. Sed vtinam (quod magis optandum est) etiam ille ad veram Catholicæ fidei

viam

viam, ab illo sui tramitis errore se conuertat, vt cupiat, velitque purgari, considerans quotidianam Dei gratiam, adiutoriumque cognoscens, vt videatur verè, & approbetur ab omnibus manifesta ratione correptus, non gestorum iudicio, sed ad Catholicam fidem corde conuerso. Vnde non possumus illorum (Episcoporum nempè Synodi Palæstinæ) nec approbare, nec culpare iudicium, cũ nesciamus vtrum sint gesta. aut si vera sunt, illum constat magis subterfugisse, quàm se tota veritate purgasse. Hactenùs S. Innocentius apud D. Augustinum, ex his patet mens vtriusque Sancti de Synodo Diospolitana, quam S. Hieronymus epist. 79. miserabilem vocat, tum quod, inquit Baronius, quæ hic Pelagius fecisse dicitur, dolosè egerit, tum etiam quod miserabilis fuerit ipsi Pelagio, ista Synodus, in qua suam ipsius hæresim, cuius intrinsecus obstinatus erat assertor, condemnare coactus fuerit.

§. 4.

De secunda Mileuitana Synodo, in qua conditi fuere octo Canones superiùs recensiti contra Pelagianam Hæresim.

Huc distuli annotationes in hoc Conciliũ, vt ex ortu, & progressu erroris Pelagiani, Synodi huius occasio distinctiùs innotesceret, Card. Baronius igitur tomo 5. ad annũ 416.

Ad-

Aduersus Pelagianos, inquit, celebratum est Concilium Carthagine, vbi Pelagius, atque Cælestius damnati sunt: item aliud eodem anno Mileui in Numidia aduersus eosdem, Cōcilium habitum est, ex ambabus Synodis ad Innocentium Romanum Pontificem, litteræ Synodales scriptæ sunt, & infra. Vt igitur absque ambiguitate certo certius asseramus hoc anno, vtramque Synodum in Africa habitam, alteram Carthagine, Mileui alteram, illam prius, hanc posterius, ex dictis litteris ad Innocentium Papam scriptis, & alijs eiusdem ad eas redditis, possumus perspicuè intelligere, atque illud primum: paulò ante celebratam esse Synodum illam Carthagine, posteà verò illam Mileui, inde affirmari posse videtur, dum in litteris Mileuitani Concilij ad Innocentium hæc habentur expressa in fine.

Hæc ad Sanctitatem Tuam de Concilio Numidiæ scripta direximus, imitantes Carthaginensis Prouinciæ Coepiscopos nostros, quos ad Sedem Apostolicam, quam Beatus illustras, de hac causa scripsisse comperimus. Hæc epistola est 82. inter Augustinianas, & testatur Innocentius se accepisse litteras ab vtraque Synodo.

Cur autem celebratæ fuerint hoc annō prędicta Concilia, prosequitur Baronius referre, occasio fuit, inquit, quod Orosius Presbyter profectus in Palæstinam, ad S. Hieronymum, cum ibi esset mense Decembris, & celebratā vidisset Synodum Diospolitanam, in qua sciuisset

uisset Pelagium, cum decepisset inuolucro verborum Episcopos, ab eisdem fuisse absolutum, & in communicationem acceptum, aduersus quem sciuisset pariter S. Hieronymum scriptis editis reclamasse, ipse, inquam, Orosius hoc ipso anno veris tempore soluens è Palæstina in Africam, ex condicto rediens, & cuncta referēs, excitauit Africanos Episcopos, ad hæresim penitùs debellandam, quam ipsi anteà in Cælestio, vt vidimus, condemnassent: facilè id fuit illis persuadere, tum exemplo, & cohortatione S. Hieronymi ad Augustinum, tum ex imminenti periculo, quod liberè scirent agere; vt catholicum iam absolutum Pelagium, in Concilio Palæstino; cuius decreto rescindi viderentur, quæ ipsi Africani Episcopi, ante iam aduersus Cælestium statuissent: adiecit ad hæc Orosius, vt quas secum haberet, datas ad se litteras Episcoporum Herotis, & Lazari, eas Africanis Episcopis dederit inspiciendas; scriptas haud dubium aduersus Pelagium, & Cælestium; fuisse autem Herotem, & Lazarum in Gallia Episcopos, & magno animi ardore insectatos esse ambos Hæresiarchas, quæ inferiùs dicemus perspicuè declarabunt. In hoc Concilio (scilicet Carthaginensi) lecta sunt acta Ecclesiastica, ante quinquennium, aduersus Cælestium Pelagii antesignanum, Carthagine quoque confecta, quibus diligentèr inspectis, vtriusque damnatio conclamata est.

Sequitur Baronius ad eundem annum 416.

Ti-

Timebant autem, inquit, Africani Episcopi, ne Pontifex acta Diospolitana approbaret, & hinc petebant, vt si adduci non posset, vt damnaret hominem, quem Catholicum Synodus absoluisset, hæreses saltem eius damnare minimè recusaret, si Pelagius (inquiunt Patres Africani epist. 90. inter Augustinianas) gestis quæ in Oriente confecta dicuntur, etiam Tuę Venerationi iustè visus fuerit absolutus; error tamen, & impietas, quæ tàm multos assertores habet, etiam authoritate Apostolicæ Sedis anathematizanda est. Acta huius Concilij narrat, & laudat S. Prosper carmine de ingratis.

Conuenerunt igitur, inquit Baronius, ad prædictum annum, Mileui in Numidia sexaginta & vnus Episcopi, porrò qui Mileui cõuenerant Patres, de damnanda hæresi Pelagiana, vt factum sciebant, in Carthaginensi Concilio, vnanimes in eandem conspirauerunt sententiam; extant eo argumento, octo Canones; dederunt litteras ex eadem Mileuitana Synodo ad Innocentium (quæ est 92. inter Augustinianas) eodem planè argumento, quo scripta fuit epistola Synodalis à Carthaginensi Concilio. Octo Canones hic editi sunt, inquit Binius, contra octo errores, qui sunt illi superiùs numerati in Synodo Diospolitana, & hoc loco octo capitibus perstringuntur, & condemnantur per præfatos octo Canones contrarios.

Addit Baronius ad præfatum annum ex epist.

epist. 106. D. Augustini, missæ sunt de hac re ex duobus Concilijs Carthaginensi, & Milevitano, relationes ad Apostolicam Sedem, antequam gesta Ecclesiastica, quibus apud Episcopos Prouinciæ Palæstinæ Pelagius perhibetur esse purgatus, vel in manus nostras, vel in Africam peruenissent. Sed obserua, inquit Baronius, antiquum loquendi vsum, per Apostolicam Sedem, præ dignitate, & sui excellentia, intelligi semper Romanam Ecclesiam. Subdit verò idem Augustinus (in supradicta epistola) scripsimus etiam ad beatæ memoriæ Papam Innocentium, præter Conciliorum relationes, litteras familiares, vbi de ipsa causa, aliquanto diutiùs egimus, ad omnia nobis ille rescripsit eodem modo, quo fas erat, atque oportebat Apostolicæ Sedis Antistitem.

At quænam sunt istæ familiares litteræ? inquit Baronius, vt quid opus post Synodicas adijcere familiares? considera morem pristinum, quod enim quantumuis magnarum Sedium Episcopi, cum alijs Suffraganeis, maximo honore prosequerentur Romanum Pontificem, Apostolicę Sedis primarium Antistitem, si quæ essent scribenda, quæ quoquomodo pertingerent, atque quauis ex causa perstringerent ipsum Romanum Antistitem; ne verenda Patris retegere viderentur, non publicis illa credebant Synodicis, sed priuatis, ijsdemque familiaribus litteris, quasi amici ad aures sermone loquentis; quod modo

do videmus factum per Augustinum, vt ipse testatur. Sunt illæ quidem ab Augustino scriptæ, nomine tamen quinque magnæ æstimationis Episcoporum, Aurelij, Alypij, ipsius Augustini, Euodij, atque Possidij; quæ autem illæ essent, de quibus Innocentius secreto admonendus erat, ex eorundem familiaribus litteris accipe (est epist. 95. inter Augustinianas) Audiuimus, inquiunt, esse in Vrbe Roma, vbi ille (Pelagius scilicet) diu vixit, nonnullos, qui diuersis causis ei fauent, quidam scilicet, qui vos talia persuasisse perhibent: plures verò, qui eum talia sentire non credunt, præsertim quia in Oriente vbi degit, gesta Ecclesiastica facta esse iactantur, quibus putatur esse purgatus. Hæc Augustinus cum prædictis Episcopis ex Concilio Mileuitano, cui ille cum eisdem interfuit.

Subiungit deinde Baronius, at non parua quidem calumnia hæc, qua Innocentius Papa vocaretur in crimen tacitæ cum Pelagio cõniuentiæ. Sed calumniosè ista ex more suo, sparserant in vulgus hæretici, quo gloriarentur se primæ Sedis Episcopi communione fulciri: quod ab alijs sępè factum vidimus. Cæterum quod Pelagiani Romę versari dicerentur, id se nesciente accidere potuisse, ipse Innocentius ad eos rescribẽs excusat his verbis (in epist. 33.) seu hac illi in Vrbe sint, quod nescientes, nec manifestare possumus, nec negare, cum etsi sint, lateant, nec aliquando audeant, vel illum prædicantem ista defende-

re, vel talia aliquo nostrum præsente iactare, & in tanta populi multitudine deprehendi aliquis facilè, nec alicubi possit agnosci, siue in quouis terrarum loco. Hæc S. Innocentius; tandem ex litteris, & declarationibus eiusdem Sancti Pontificis, concludit Baronius, quam impolluta, quam integra fuerit eius fides in causa aduersus Pelagium mota, quem idem Sanctus damnauit.

§. 5.

Pelagij, & Cælestij ad Zosimum Papam recursus, eorum artes, detecta fraude, sententia in eos lata.

Cælestius, inquit Card. Baronius tomo 5. ad annum 417. Pelagij Hæresiarchæ antesignanus, tanquam nouæ hæresis promulgator, iamdiù ante damnatus ab Episcopis Africanis in Cōcilio Carthaginensi, appellauit ad Apostolicam Sedem. Verùm quod se sciret expertum Innocentium Papam sibi aduersantem, appellationem nequaquam prosequi voluit: ipso autem defuncto, ad Successorem illius Zosimum se contulit, vt ab ipso audiretur, non quidem prosecuturus appellationem (vt in suo libello Paulinus testatur) elapso iā appellandi tempore, sed aduersus accusatores, quærelas illaturus; quod verò sciret se ab ipso Zosimo fore damnandum, si qualis esset, detegeretur hæreticus, ea arte concinnauit scri-

ptum

ptum à se libellum, vt non posset, etiamsi Zosimus vellet ab ipso reijci, sed suscipi cogeretur, vtpotè qui post enarrata, quæ de fide sentiret, eiusmodi ad finem apposuit verba: Si fortè vt hominibus quispiam ignorantiæ error obrepserit, vestra sententia corrigatur,

Ad explorandam Cęlestij fidem Zosimus eum interrogauit, an assentiretur epistolæ Innocentij aduersus errores Pelagij, cui Cælestius se consentire professus est; hinc cum libellus Cælestij Zosimo videretur catholicus, scripsit ad Africanos Episcopos epistolam, in qua narrat Cælestium coram ipso comparuisse, & diem cognitionis, in quo audiretur, indictum fuisse in Basilica Sancti Clementis, libellum suum porrexisse, in quo ille infamat Herotem, & Lazarum Episcopos in Gallia, qui eum per litteras ad Episcopos Africanos accusarunt, & in eodem allegat, dictam accusationem fuisse iniustam, vsque adeò, vt Zosimi animum acritèr, Versipellis ille incēderit in pręfatos illos duos Episcopos, vt ex eiusdem Zosimi litteris de persona Cælestij, & etiam Pelagij sigillatim ad Patres Africanos scriptis liquidò constat. Quare subiungit Zosimus ad prædictos Patres, aut veniant, inquit, qui præsentem (Cælestium nempè) redarguant alitèr sentire, quam libellis, & confessione contexuit, aut nihil post hæc, inquit, tam aperta, & manifesta, quæ protulit dubij, Sanctitas Vestra

 rese-

resedisse cognoscat. Subdit Baronius, quibus planè intelligis, Cælestium hominem Versipellem inuoluentem cuncta mendacijs, quo catholicus valeret æstimari; nam quod ad dogmata pertinet, qualis revera esset, excussa larua, à Zosimo posteà detectus est, ostensusque Cælestius, scelestissimus hæreticorum. Quod verò spectat ad Lazarum, & Herotem, quos adeò vehementèr infamauit, quam insignitèr, & in his idem Cælestius mentitus sit, possumus ex his colligere, quæ de altero ipsorum Prosper affirmat, nempè de Herote, cum ait (in Chron.) Heros vir Sanctus B. Martini discipulus &c.

Pergit Baronius ad præfatum annum 417. ad res Pelagij,& subijcit, Qui igitur eadem erant fuligine tincti, eadem ambo vsi sunt, ad fallendam Sedem Apostolicam, arte, Cælestius, atque Pelagius, sicut enim ille,ita iste in litteris, quas datas diximus ad Innocentium Papam, & eo defuncto, acceptas à Zosimo Successore, nihil prætereà magis conatus est, quàm ab ipso Romano Pontifice videri, atq; probari catholicus; mox Baronius citat ibidē Zosimi litteras ad Episcopos Africanos, vbi Pontifex inter alia grauitèr conqueritur de Herote, & Lazaro, Pelagij, & Cælestij accusatoribus; deinde subiungit eiusdem Pelagij libellū fidei, ex variis fragmentis concinnatum, in quo ille astuta fraude catholicum se profitetur, aliud in ore, aliud in mente gerens, difficultates tamen

men præcipuas, de quibus olim infamatus fuit, dexterè declinauit.

Hinc subdit Baronius, ista mecum ipse considerans, & singula accuratè perpendens obstupesco, quo modo impius hæresiarcha, cum se ab Innocentio Papa fore damnandū sensit, mox vt mentiretur se non esse lupum, quem gereret, & agni in omnibus speciem præseferret, catholicam confessionem, tanquam ouinam pellem, qua totus catholicus appareret, superinduxit; atque adeò vt ne pilum quidem inesse videri posset hæretici. Et notat ibidem Baronius, quod licet confessio Pelagij non expresserit singula errorum capita retractata, tamen clausula illa ab eo in fine posita, nempè, si minùs peritè, aut parum caute aliquid fortè positum est, emendari cupimus à te, qui Petri fidem, & sedem tenes, Aduersantium ora, inquit Baronius, clausit, strepitumque compescuit. Et infra; vnde merito, quod de Leuiatham habet Diuinus sermo (Iob 41.) congruè de Pelagio dici posset, quis reuelabit faciem indumenti eius? certè nonnisi Deus. Tandem vidisti Lector, inquit Baronius, vafritiem Versipellis hæresiarchæ ouina pelle vndique circumtecti, omnique ex parte ouem præseferentis lupi, admisceri se cum grege conantis.

Denique narrat Baronius ad annum 418. quomodo receptis in Africa Zosimi litteris de Pelagio, & Cælestio, de fide catholica

benè sentientibus, ad Synodum Carthagine indictam, Patres ducenti quatuordecim, vel septemdecim conuenerunt, & professi sunt se decretum Innocentij Papæ consectari, atque amplecti: & Zosimus instaurato Romæ iterùm iudicio, detectaque Cælestij, & Pelagij fraude, vtrumque damnauit, vt habet Prosper in Chronico inquiens, Concilio apud Carthaginem habito ducentorum decem, & septem Episcoporum, ad Pontificem Zosimum Synodalia decreta perlata sunt, quibus probatis, per totum mundum hæresis Pelagiana damnata est.


Vide Card. Baron. ad prædictum annum. S. Augustinus autem lib. 2. de gratia Christi, & peccato originali cap. 8. de Zosimo sic habet: Recoluit Beatissimus Papa Zosimus, quid imitandus Prædecessor eius de ipsis senserit gestis; attendit etiam quid de illo (loquitur de Pelagio) sentiret prædicanda in Domino Romanorum fides, quorum aduersus eius errorem pro veritate catholica, studia consonantia concorditèr flagrare cernebat. Et cap. 9. postquam retulit Sancti Innocentij sententiam de Pelagio, supra §. 3. citatam, subdit: Videtis quid Successor eius Sanctus Papa Zosimus recolere debuerit, sicut recoluit, vt in eo sui Prædecessoris iudicium remota cunctatione firmaret. Hæc S. Augustinus.

Quo-

§. 6.

Quoties Hæresis Pelagiana fuit damnata.

Secundùm Card. Baron. tomo 5. Primò in eandem hæresim insurrexerunt Patres Africani in vna Synodo Carthaginensi, cuius acta non extant; Secundò insurrexit Synodus Diospolitana, vbi Pelagius inuolucro verborum visus est errores sibi obiectos damnare. Tertiò insurrexit in eam altera Synodus Africana: Quartò Synodus Mileuitana, Quintò S. Innocentius Papa, cui primas partes tribuit in damnatione huius hæresis, Baronius, & Suares 1. part. de gratia prolegom.6. cap.1. Sextò fuit damnata eadē hæresis in œcumenica Ephesina Synodo, vt habet Binius in notis ad act.7.& sess.11. eandem hæresim fuisse in Asia detectam à Sancto Ioanne Chrisostomo, notat Baronius præfato tomo 5. Septimò fuit condemnata à Zosimo Papa, & hæc de hæresi Pelagiana.


BIBLIOTECA NAZ. ROMA



CAPVT II.

Damnatio Hæresis Prædestinatianorum.

Epistola Fausti ad Lucidum Presbyterum scripta in tertio Concilio Arelatensi approbata.



Omino deuinctissimo, & mihi speciali affectu venerando, ac suspiciendo fratri Lucido Presbytero Faustus. Grandis charitas, parum cauti fratris errorem, per Dei adiutorium, & gratiam, magis velle curare, quam sicut Summi Antistites meditantur, à bonitate suspendere. Quid possum de hoc sensu, sicut vis, cum vnanimitate tua per litteras loqui, cum te præsens multa, & blanda, & humili allocutione nũquam potuerim ad viam vnitatis attrahere? Loquentes ergo de gratia Dei, & obedientia hominis, id omnimodo statuere debemus, vt neque proni in sinistram, neque importuni in dexteram, regiam magis gradiamur viam. Illud autem venerationem tuam dixisse miratus sum, quod nullus vnquam sub Religiosa professione, contra catholicam fidem vel scripserit, vel prædicauerit, cum plurimi multiplices & prophanos Auctores

suos, etiam Scriptorum monumentis crediderint inserendos, qui tamen Christiano nomine gloriabantur. Breuitèr ergo dicam, quantum cum absente loqui possum, quid sentire cum Catholica Ecclesia debeat, id est:

1 Vt cum gratia Domini, operationem baptizati famuli semper adiungat; & eum, qui prædestinationem, clauso labore hominis, asserit, cum Pelagii dogmate detesteris.

2 Anathema ergo illi, qui inter reliquas Pelagij impietates, hominem sine peccato nasci, & per solum laborem posse saluari, damnanda præsumptione contenderit; & qui cum sine gratia Dei liberari posse crediderit.

3 Item Anathema illi, qui hominem, cum fideli confessione solemnitèr baptizatum, & asserentem catholicam fidem, & postmodum per diuersa huiusmodi oblectamenta prolapsum, in Adam, & originale peccatum perijsse asseruerit.

4 Item Anathema illi, qui per Dei præscientiam, in mortem deprimi hominem dixerit.

5 Item Anathema illi, qui dixerit, illum qui perijt, non accepisse vt saluus esse posset, ideſt de baptizato, vel de illius ætatis Pagano, qui credere potuit, & noluit.

6 Item Anathema illi, qui dixerit, quod vas contumeliæ non possit assurgere, vt sit vas in honorem.

7 Item Anathema illi, qui dixerit, quod Christus non pro omnibus mortuus sit, nec omnes homines saluos esse velit; hactenus Fausti Anathematismi, qui mox ista subiungit.

Cum autem ad nos, in Christi nomine, veneris, aut cum à Sanctis Sacerdotibus euocatus fueris: tunc opportunè (si Dominus iusserit) locis suis testimonia proferemus: quibus & quæ catholica sunt, manifestentur, & quæ catholicis sunt contraria, destruantur. Hæc Faustus, qui & mox subdit, quæ de his ipse sentiat, verbis istis.

Nos autem per illuminationem Christi, veracitèr, & confidentèr asserimus, & eum qui perijt per culpam, saluum esse potuisse, per gratiam, si gratiæ ipsius famulatui, laboris obedientiam non negasset, & eum, qui per gratiam ad bonæ consummationis metas, seruitio obsequente, peruenit, cadere, per desidiam, & perire potuisse per culpam. Nos ergo per medium, Christo duce gradientes post gratiam, sine qua nihil sumus, laborem laboriosæ seruitutis asserimus, sed omnimodo arrogantiam, & præsumptionem laboris excludimus, vt totis viribus desudantes, ne gratia in nobis euacuetur, quidquid de manu Domini susceperimus, donum pronunciemus esse, non pretium, scientes laboris ipsius fructum, officij rem esse, non meriti: cum Euangelista dicentes, Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, feci-

fecimus. Hæc quæ strictim pro epistolæ breuitate memorata sunt, aut recipere se, aut respuere, vnanimitas tua, recurrente sermone, respondeat. Cæterum qui hanc veritatis mensuram, gratia præcedente, & conatu assurgente non sequitur, dignus erit, qui à sacris liminibus arceatur.

Ego autem indiuiduam mihi bonitatem tuam totó sinceræ benignitatis amplexu in via retinens; in Matris Ecclesiæ gremio permanere, repudiato hoc errore, desidero, qui si citò respuatur, ignorantia fuisse videbitur; blasphemia verò reputabitur, si pertinacitèr defendatur. Grauem namque in authorem retorquemus inuidiam, si dicamus, quod ei possibilitatem capessendæ salutis, noluerit dare, qui perijt, ei dumtaxat, qui capere iam possit, arbitrij libertatem: cum minimè negare possimus, quod mandati præuaricatorem, in iudicij sui examinatione damnabit. Qui enim non est obnoxius de suscepto, quomodo reus esse possit de perdito? ac si peccantes in Deum, cuius in primis incautius asseruimus gratiam, in postremis, eius videbimur impugnare iustitiam. Huius autem epistolæ exemplar mecum retineo, in conuentu Sanctorum Antistitum, si ita necessè fuerit, proferendum. Quam si suscipiendam putauerit fraternitas tua, aut subscriptam manu propria, mox remittat, aut sequentibus scriptis, omninò se improbasse respondeat. Quod si eam subscri-

ſcriptam (vt dixi) tranſmittere nolueris; apertè adhuc te in errore perſiſtere, ipſo ſilentio comprobaris, ac proinde iam neceſſitatem mihi facies ad perſonam tuam, publicis conuentibus exponendam. Et ideò ſecundum hæc, quæ à me ſunt directa, reſcribe, vtrum ea, remotis circuitionibus, aut cognoſcas, aut reſpuas.

Ab Arelatenſi Concilio adiecta ſubſcriptio, & approbatio hæc eſt.

Auxianus in Chriſti nomine Epiſcopus relegi, & ſubſcripſi.

Fauſtus Exemplar epiſtolæ meæ relegi, & ſubſcripſi.

Paulus Epiſcopus in Chriſti nomine relegi, & ſubſcripſi.

Eutropius in nomine Chriſti Epiſcopus relegi, & ſubſcripſi.

Pragmatius in Chriſti ſigno Epiſcopus relegi, & ſubſcripſi.

Patiens in Chriſto Epiſcopus relegi, & ſubſcripſi.

Euphronius relegi, & admiratus ſum plenitudinem ſanctam.

Megetius Epiſcopus relegi, & ſubſcripſi.

Claudius in nomine Chriſti Epiſcopus relegi, & ſubſcripſi.

Leucadius in nomine Chriſti Epiſcopus relegi, & ſubſcripſi.

Iulianus in nomine Chriſti Epiſcopus ſubſcripſi.

Lucidus Presbyter relegi, & ſubſcripſi.

Epi-

Epistola Lucidi, quam in detestationem errorum suorum, ad alium Episcoporum conuentum Lugdunensem scripsit, hæc est:

Dominis Beatissimis in Christo Reuerendis Patribus Leontio, Euphronio, Fonteio, Viuentio, Mamerco, Patienti, Viriano, Auxanio, Fausto, Megetio, Paulo, Grosco, Eutropio, Basilio, Leontio, Claudio, Leucadio, Pragmatio, Marcello, Prætextato, Iuliano, Amicali, Ioanni, Opilioni, Licinio, Viuentio, Theophlasto Episcopis Lucidus: Correctio vestra salus publica, & sententia vestra medicina est. Vnde & ego summum remedium duco, vt præteritos errores accusando excusem, & salutifera confessione mea diluam.

1 Proinde iuxtà prædicandi recentia Statuta Concilij, damno vobiscum sensum illum, qui dicit humanæ obedientiæ laborem, Diuinæ gratiæ non esse iungendum.

2 Qui dicit post primi hominis lapsum ex toto arbitrium voluntatis extinctum.

3 Qui dicit, quod Christus & Saluator noster, mortem non pro omnium salute susceperit.

4 Qui dicit, quod præscientia Dei hominem violenter compellat ad mortem, vel quod cum Dei pereant voluntate, qui pereunt.

5 Qui dicit, quod post acceptum legitimè

timè baptiſmum, in Adam moriatur quicumque deliquerit.

6 Qui dicit, alios deputatos ad mortem, alios ad vitam prædeſtinatos.

7 Qui dicit, ab Adam vſque ad Chriſtum, nullos ex gentibus per primam Dei gratiam, ideſt per legem naturæ in aduentum Chriſti fuiſſe ſaluatos, eo quod liberum arbitrium in primo parente perdiderint.

8 Qui dicit, Patriarchas, ac Prophetas, vel Summos quoſcumque Sanctorum, etiã ante redemptionis tempora, intra Paradiſum deguiſſe. Hæc omnia quaſi impia, & ſacrilegijs repleta condemno.

9 Iſta autem aſſero, gratiam Dei, vt anniſum hominis, & conatum gratiæ ſemper adiungam, & libertatem voluntatis humanæ non extinctam, ſed attenuatam, & infirmatam eſſe pronunciem, & periclitari cũ qui ſaluus eſt, & eum qui perijt, potuiſſe ſaluari.

10 Chriſtum etiam Dominum, & Saluatorem noſtrum, quantum pertinet ad diuitias bonitatis ſuæ, pretium mortis pro omnibus obtuliſſe, & quia nullum perire velit, qui eſt Saluator omnium, maximè fidelium, diues in omnibus, qui inuocant illum.

11 Aſſero etiam, per rationem & ordinem ſæculorum, alios lege gratiæ, alios lege Moyſi, alios lege naturæ, quam Deus in omnium cordibus ſcripſit, in ſpe Aduentus

Chriſti

Christi fuisse saluatos; tamen ex initio mundi, ab originali nexu, nisi intercessione sacri sanguinis, non absolutos.

12 Profiteor etiam æternos ignes, & infernales flammas, factis capitalibus præparatas: quia perseuerantes humanas culpas, meritò sequitur Diuina sententia; quam iustè incurrunt, qui hæc in toto corde non crediderint. Orate pro me, Domini Sancti, & Apostolici Patres.

ADNOTATIONES.

Ex Cardinali Baronio, & Binio in prædictas Epistolas.

§. 1.

IN his epistolis proscribitur hæresis Prædestinatorum, quæ inter alios errores suos, etiam hunc fouebat, vt sicut Pelagiani totum salutis negotium nudo tribuebant humanæ voluntatis arbitrio, ita Prædestinati; ad alterum declinantes extremum, actiones salutares soli Diuinæ gratiæ, exclusa libertatis creatæ cooperatione libera adscribebant, æstimantes peccato primi parentis, extinctum fuisse liberum arbitrium, vt colligi poteſt ex sententijs, & anathematismis vtriusque epistolæ, interim audiatur Cardin. Baronius tomo 6. ad annum 490.

Acturi, nos verò, inquit, de his quam accura-

curatissimè, in primis in memoriam reuocandum putamus, post Sancti Augustini obitum prodijsse, qui ex eius scriptis malè perceptis, complures inuexerunt errores, quos Sancti Augustini nomine, & authoritate defendere conabantur; sed eos pro defensione ipsius Sancti Augustini, agens Sanctus Prosper validè confutauit, dicebantur isti (vt Sigebertus in Chronico, anno 415.) hæresis Prædestinatorum sectatores, qui idcircò eo nomine vocabantur, quod de prædestinatione,& Diuina gratia disputantes asserent, nec piè viuentibus prodesse bonorum operũ laborem, si à Deo ad damnationem præsciti essent, nec impijs obesse, etiãsi improbè viuerent, si à Deo prædestinati fuissent ad vitã, qua assertione bonos,à bonis auocarentur operibus, & mali stabilirentur in malis, quæ quidem, vt diximus, ex scriptis Sancti Augustini malè perceptis, qui huiusmodi erant, se accepisse iactabant.

His autem erroribus detentus fuit Lucidus quidam magni nominis Presbyter, ad quem Faustus epistolam scripsit, quam vt verè Catholicam, ab Episcopis Concilij Arelatensis probatam, & subscriptione munitam diximus; cuius etiam authoritate, libros illos duos de quibus sermo est, Faustus probare voluit. Fuerunt illi libri compositi ab ipso Fausto de gratia, & libero arbitrio; Prosequitur Baronius. Vt igitur

cuncta in re magni momenti explorata reddantur; hic tibi primùm, ipsam ad Lucidum, Fausti epistolam reddendam putauimus (nempè illam quæ superiùs descripta est) vt de reliquis Fausti scriptis, pretiosum à vili secernas.

De hoc Fausto Authore præfatæ catholicæ epistolæ (quam talem esse declarat etiã P. Ioannes Maria Brasichellanus, in Indice expurg. Rom. in tom.4. Bibl. Patrum) variant Authores, quidam fuisse Sanctum negant, alij affirmant, eo quod illi, vt in albũ Sanctorum relato, inueniantur templa dicata, & cultus à populis exhibitus; & hoc etiã nomine laudandum censent, quod illius potissimum studio, & opera Lucidi, & aliorum Prædestinatianorum errores, à duobus illis Concilijs Arelatensi, & Lugdunensi damnati fuerint, quodque à dictis Concilijs eidem Fausto iniunctum fuerit, vt editis libris ea fusiùs pertractaret, de quibus in Synodis actum fuerat.

Cæterum quod Cardinalis Baronius ad annum 490. de eodem dicit, Porrò Faustus, &c. quem miramur ab aliquibus impradẽtèr inscribi Sanctum, &c. Retractat in appendice ad hunc ipsum annum, adiectam ad tomum 10. & ex varijs monumentis infert eum esse Sanctum, & errores suos retractasse, de quibus erroribus agit idem Cardinalis tomo 6. vtpotè Pelagianismum sapientibus.

Nota

§. 2.

Notæ Binij in easdem Epistolas.

Ille tomo 2. Concil. par. 1. in hac Synodo, inquit, scilicet Arelatensi tertia, subscriptione Episcoporum approbata est illa epistola Fausti Rhegiensis, quam dedit ad Lucidum magni nominis Presbyterum, Prædestinatorum hæresim sectantem, vt hominem in errorem lapsum, ad catholicam fidem reuocaret, vt ita sentiam, mouent me subscriptiones Episcoporum, quia ijdem magna ex parte Epaunensi Concilio, paulò ante hæc tempora, sub Pontificatu Symmachi celebrato interfuisse, & subscripsisse inueniuntur. Subscripsit idem Lucidus Presbyter, vt de retractato constaret errore, vt notat Baronius ad annum 490. nec magnoperè æstimandum, quod huic Synodo, hisque epistolis opponit Iacobus Vsserius Pseudoprimas Hiberniæ, & Caluinista, qui doctrinam Catholicam, hic declaratam, rectis oculis contueri non potuit. Et hæc de Arelatensi Synodo.



C A-

CAPVT III.

Iterata damnatio Hæresis Pelagianæ, necnon Semipelagianæ.

Concilium Arausicanum secundum contra Semipelagianos, & Massilienses.



VM ad dedicationem Basilicæ, quam Illustrissimus Præfectus, & Patricius filius noster Liberius in Arausia Ciuitate, fidelissima deuotione construxit, Deo propitiante, & ipso inuitante conuenissemus, & de rebus, quæ ad Ecclesiasticam regulam pertinerent, inter nos fuisset spiritualis oborta collatio: peruenit ad nos esse aliquos, qui de gratia, & libero arbitrio minus cautè, & non secundùm Fidei Catholicæ regulam sentire velint. Vnde & nobis, secundùm auctoritatẽ, & admonitionem Sedis Apostolicæ iustum, & rationabile visum est, vt pauca capitula ab Apostolica nobis Sede transmissa, quæ ab antiquis Patribus de certis scripturarum voluminibus in hac præcipuè causa collata sunt, ad docendos eos, qui alitèr quã oportet, sentiunt, ab omnibus obseruanda proferre, & manibus nostris subscribere debe-

remus. Quibus lectis, qui hucusque non sicut oportebat, de gratia, & libero arbitrio credidit, ad ea quæ fidei catholicæ conueniunt, animum suum inclinare non differat.

1 Si quis per offensam præuaricationis Adæ, non totum (idest, secundùm corpus, & animam) in deteriùs dicit hominem cõmutatum, sed animæ libertate illæsa durante, corpus tantummodò corruptioni credit obnoxium, Pelagij errore deceptus, aduer-
Ezech. 18 satur Scripturæ dicenti: Anima quæ pec-
Rom. 6. cauerit ipsa morietur. Et, nescitis, quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum,
2. *Pet.* 2. serui estis eius, cui obeditis? Et, à quo quis superatur, eius, & seruus adijcitur.

2 Si quis soli Adæ præuaricationem suã, non & eius propagini, asserit nocuisse, aut certè mortem tantùm corporis, quæ pœna peccati est, non autem, & peccatum, quod mors est animæ, per vnum hominem in omne genus humanum transijsse testatur, iniustitiam Deo dabit, contradicens Apo-
Rom. 5. stolo dicenti: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccauerunt.

3 Si quis ad inuocationem humanam, gratiam Dei dicit conferri, non autem ipsam gratiam facere, vt inuocetur à nobis;
Esa. 65. contradicit Esaiæ Prophetæ, vel Apostolo
Rom. 10. idem dicenti: Inuentus sum à non quæren-
ti-

tibus me: palàm apparui his, qui me non interrogabant.

4 Si quis, vt à peccato purgemur, voluntatem nostram, Deum expectare contendit, non autem vt etiam purgari velimus, per Sancti Spiritus infusionem, & operationem in nos fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui Sancto, per Salomonem dicenti; Præparatur voluntas à Domino, & Apostolo salubritèr prædicanti; Deus est, qui operatur in nobis, & velle, & proficere pro bona voluntate.

Prou. 19. iuxtà 70.

Philip. 2.

5 Si quis, sicut augumentum, ita etiam initium fidei, ipsum credulitatis effectum, quo in eum credimus, qui iustificat impiū, & ad regenerationem baptismatis peruenimus, non per gratiæ donum, idest, per inspirationem Spiritus Sancti corrigentem, voluntatem nostram, ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, & naturalitèr nobis inesse dicit; Apostolicis dogmatibus aduersarius approbatur, Beato Paulo dicente; Confidimus, quia qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet vsque in diem Domini Nostri Iesu Christi. Et illud; Vobis datum est pro Christo, non solùm vt in cū credatis, sed etiam vt pro illo patiamini. Et, gratia salui facti estis per fidem, non ex vobis; Dei enim donum est. Qui enim fidem qua in Deum credimus, dicunt esse naturalem, omnes eos, qui ab Ecclesia Christi alieni sunt, quodammodo fideles esse diffiniūt.

Philip. 1.

Idem Ephes. 2.

6 Si quis ſine gratia Dei, credentibus, volentibus, deſiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, ſtudentibus, petentibus, quærentibus, pulſantibus nobis miſericordiam dicit conferri, non autem diuinitùs, vt credamus, velimus vel hæc omnia, ſicut oportet, agere valeamus, per infuſionem, & inſpirationem Sancti Spiritus, in nobis fieri confitetur, aut humilitati, aut obedientiæ humanæ ſubiungit gratiæ adiutorium, nec vt obediens, & humillimus, ipſius gratiæ donum eſſe conſenſit, reſiſtit
1. Cor. 4. Apoſtolo dicenti: Quid habes quod non
ibidē 15. accepiſti? Et gratia Dei ſum id quod ſum.

7 Si quis per naturæ vigorem, bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ, cogitare vt expedit, aut eligere, ſiue ſalutari (ideſt euangelizanti) prædicationi conſentire poſſe confirmat, abſque illuminatione, & inſpiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus ſuauitatem in conſentiendo, & credendo veritati, hæretico fallitur ſpiritu, non intelligens vocem Dei, in Euangelio dicentis: Sine me nihil poteſtis facere, & il-
Ioan. 15. lud Apoſtoli: Nunquid idonei ſumus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis? ſed ſuf-
2. Cor. 3. ficientia noſtra ex Deo eſt.

8 Si quis (alius miſericordia, alius verò per liberum arbitrium, quod in omnibus, qui de præuaricatione primi hominis nati ſunt) conſtanti ſententia hominem ad gratiam baptiſmi poſſe venire contendit, à re-

cta

cta fide probatur alienus. Is enim non omnium liberum arbitrium, per peccatum primi hominis asserit infirmatum, aut certè ita læsum putat, vt tamen quidam valeant, sine reuelatione Dei, mysterium salutis æternæ per semetipsos posse conquirere. Quodquã sit contrarium, ipse Dominus probat; qui non aliquos, sed neminem ad se posse venire testatur, nisi quem Pater attraxerit, sicut & Petro dicit: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Et Apostolus: Nemo potest dicere Dominum Iesum Christum, nisi in Spiritu Sancto. *Ioan. 6.* *Matth.16* *1.Cor.12.* *Phil. 2.*

9 *De adiutorio Dei.* Diuini est muneris, cum & rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate, & iniustitia tenemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, vt operemur, operatur.

10 *De adiutorio Dei.* Adiutorium Dei etiam renatis, ac Sanctis semper est implorandum, vt ad finem bonum peruenire, vel in bono possit opere perdurare.

11 *De obligatione votorum.* Nemo quicquam Domino rectè vouerit, nisi ab ipso acceperit, sicut legitur: Quæ de manu tua accepimus, damus tibi. *1.Par.29*

12 *Quales non diligit Deus.* Tales nos amat Deus, quales futuri sumus ipsius dono, non quales sumus nostro merito.

13 *De reparatione liberi arbitrij.* Arbitriũ voluntatis in primo homine infirmatum,

nisi per gratiam baptismi,non potest reparari. Quod amissum, nisi à quo potuit dari,nō potest reddi. Vnde ipsa veritas dicit: Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis.

Ioan. 8. 14 Nullus miser de quacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia præuenitur, sicut dicit Psalmista, Citó anticipet nos misericordia tua Domine,& illud Deus meus misericordia eius præueniet me.

Psal. 78.

Psal. 58.

Psal. 76. 15 Ab eo quod formauit Deus, mutatur Adam, sed in peius per iniquitatem suā, ab eo quod operata est iniquitas, mutatur fidelis, sed in melius per gratiam; Illa ergo mutatio, fuit præuaricatoris primi: hæc, secundùm Psalmistam: Mutatio dexteræ Excelsi.

1.Cor.4. 16 Nemo ex eo, quod videtur habere, glorietur, tanquam non acceperit: aut ideò se putet accepisse, quia littera extrinsecus, velut legitur, apparuit; vel, vt audiretur, sonuit, nam sicut Apostolus dicit, Si per legem iustitia, ergo Christus gratis mortuus est, ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem,dedit dona hominibus; Inde habet, quicumque habet: quisquis autem inde se habere negat, aut verè non habet, aut id quod habet, aufertur ab eo.

Galat. 2.

Eph.4.& Psal. 67.

Matth. 25.

Rom. 5. 17 *De fortitudine Christiana.* Fortitudinem Gentilium mundana cupiditas, fortitudinē Christianorum Dei charitas facit, quæ diffusa est in cordibus nostris, non per voluntatis arbitrium, sed per Spiritum Sanctum,

Rom. 4.

qui

qui datus est nobis, nullis meritis gratiam præuenientibus.

18 Debetur merces de bonis operibus, si fiant: sed gratia quæ non debetur, præcedit, vt fiant.

19 *Neminem nisi Deo miserante saluari.* Natura humana etiamsi in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo se ipsam, Creatore suo non adiuuante, seruaret: vnde cum sine gratia Dei salutem non posset custodire, quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare quod perdidit?

20 *Nihil boni hominem posse sine Deo.* Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo. Nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præstet, vt faciat homo. *Esaie 26*

21 *De natura, & gratia.* Sicut eis, qui volentes in lege iustificari, & à gratia exciderunt, verissimè dicit Apostolus: Si ex lege iustitia est; ergo Christus gratis mortuus est, iam hic enim erat lex, & non iustificabat: iam hic erat & natura, & non iustificabat. Ideò Christus non gratis mortuus est, vt & lex per illum impleretur, qui dixit, Non veni legem soluere, sed adimplere, & natura per Adam perdita, per illum repararetur, qui dixit, venisse quærere, & saluare quod perierat. *Gal. 2.* *Matth. 5.* *Luc. 19.*

22 *De his quæ hominum propria sunt.* Nemo habet de suo, nisi mendacium, & peccatum, si quis autem habet homo veritatẽ, *Psal. 115.*

Esa. 20. atque iustitiam; ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac heremo, vt ex eo quasi guttis quibusdam inrorati, non deficiamus in via.

23 *De voluntate Dei, & hominis*. Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt, quod Deo displicet. Quando autem ita faciunt, quod volunt, vt Diuinæ seruiant voluntati, quamuis volentes agant, quod agunt, illorum tamen voluntas est à quo præparatur, & obitur, quod volunt.

Ian. 15. & August. 24. super Ioan. 24 *De palmitibus vitis*. Ita sunt in vite palmites, vt viti nihil conferant, sed inde accipiant, vnde viuant; sic quippe vitis est in palmitibus, vt vitale subministret eis, non sumat ab eis. Ac per hoc, & manentem in se habere Christum, & manere in Christo, discipulis prodest, & non Christo. Nam præciso palmite, potest de viua radice alius pullulare. Qui autem præcisus est, non potest sine radice viuere.

Ioan. 4. 25 *De dilectione, qua diligimus Deum*. Prorsùs donum Dei est, diligere Deum, ipse vt diligeretur, dedit, qui non dilectus diligit,
Ioan. 14. displicentes amati sumus, vt fieret in nobis vnde placeremus. Diffundit enim charitatē in cordibus nostris Spiritus Patris, & Filij,
Rom. 5. quem cum Patre amamus, & Filio. Ac sic secundùm suprascriptas Sanctarum Scripturarum sententias, vel antiquorum Patrum diffinitiones, hoc Deo propitiante, & prædicare

dicare debemus, & credere, quod per peccatum primi hominis, ita inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium, vt nullus posteà aut diligere Deum, sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum est, possit, nisi gratia eum, & misericordia Diuina præuenerit: vnde Abel iustum, & Noe, & Abraham, & Isac, & Iacob, & omnem antiquorum Sanctorum multitudinem, illam præclaram fidem, quam in ipsorum laudem prædicat Apostolus Paulus, non per bonum naturæ, quod prius in Adam datum fuerat, sed per gratiam Dei credimus fuisse collatam: quia gratiam, etiam post aduentum Domini, omnibus qui baptizari desiderant, non in libero arbitrio habere, sed in Christi nouimus simul, & credimus largitate conferri, secundùm illud, quod iam supra dictum est, & prædicat Paulus Apostolus: Vobis donatum est, pro Christo, non solùm vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini, & illud: Deus qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet vsque in diem Domini nostri. Et illud: Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est, Et quod de seipso ait Apostolus: Misericordiam consequutus sum, vt fidelis essem. Nō dixit quia eram, sed vt essem. Et illud: Quid habes quod non accepisti? Et illud: Omne datum bonum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum. Et

Ephes. 2. *1. Tim. 1.* *1. Cor. 4.* *Iacob. 1.* *Ioann. 3.*

Et illud: Nemo habet quidquam boni, nisi illud illi datum fuerit desuper. Innumerabilia sunt Sanctarum Scriprurarum testimonia, quæ possint ad probandam gratiam proferri: sed breuitatis studio prętermissa sunt, quia, & reuera, cui parua non sufficiunt, plura non proderunt.

Hoc etiam secundum fidem Cattohlicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante, & cooperante, quæ ad salutem pertinent possint, & debeāt, si fidelitèr laborare voluerint, adimplere. Aliquos verò ad malum diuina potestate prædestinatos esse, non solùm non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint cum omni detestatione in illos Anathema dicimus. Hoc etiam salubritèr profitemur, & credimus, quod in omni opere bono, non nos incipimus, & posteà per Dei misericordiam adiuuamur: sed ipse nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem, & amorem sui prius inspirat, vt & baptismi Sacramenta fideliter requiramus, & post baptismum, cum ipsius adiutorio, ea quæ sibi sunt placita, implere possimus; vndè manifestissimè credendum est, quod & illius latronis, quem Dominus ad Paradisi Patriam reuocauit, & Cornelij Centurionis, ad quem Angelus Domini missus est, & Zacchæi, qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed diuinæ largitatis donum.

Luc. 23. *Act. 10.* *Luc. 19.*

Et

Et quia diffinitionem antiquorum Patrū, nostramq; quæ scripta est, non solū Religiosis, sed etiā laicis medicamentū esse, desideramus, & cupimus: placuit ergò vt etiam Illustres, & magnifici viri, qui nobiscum ad præfatam festiuitatem conuenerunt, propria manu subscriberent: Cęsarius in Christi nomine Episcopus, Constitutionem nostram relegi, & subnotans subscripsi, quinto nonas Iulij, Decio Iuniore viro clarissimo Consule. Iulianus Episcopus subscripsi. Constantinus Episcopus subscripsi. Cyprianus Episcopus subscripsi. Eucherius Episcopus subscripsi. Heraclius Episcopus subscripsi. Philagrius Episcopus subscripsi. Maximus Episcopus subscripsi. Prætextatus Episcopus subscripsi. Aletius Episcopus subscripsi. Lupertianus Episcopus subscripsi. Vindemialis Episcopus subscripsi. Petrus, Marcellus, Felix, Liberius viri clarissimi, & Illustres Pręfecti Pętorij Galliarum, atque Patritij consentientes subscripserunt. Siagrius vir clarissimus cons. subscripsit. Opilio vir clarissimus cons. subscripsit, Pantagatus vir clarissimus consul. subscripsit. Deodatus vir clarissimus consul subscripsit. Clariatho vir clarissimus consul. subscripsit. Marcellus vir clarissimus consul. subscripsit.

ADNOTATIONES

In hanc Arausicanam Synodo secunda.

§ 1.

Quorum errores in hac Synodo secunda condemnati?

VT titulus apud Binium pręsefert, celebratum fuit hoc Concilium contra Semipelagianos,& Massilienses,toties enim detruncata hęresis pelagiana, iterum repullulare cæpit: & si non ex integro, saltem ex parte,sub nomine Semipelagianorum,recruduit, communis autem præfatorum error, vt notat Didacus Aluarez lib. 1. disp. 2. in hoc consistebat,quod licet contra Pelagium, faterentur gratiam Dei esse necessariam, ad opera Sanctitatis pręstanda, & ad gloriam promerendam, ac obtinendam dispositionem conuenientem ad remissionem peccati; aliquod tamen initium salutis reseruarunt libero arbitrio, (nude sumpto): & ideo dicebant necessarium esse, vt homo incipiat per aliquem bonum motum (naturalem scilicet,) quem Deus postea promoueat. & perficiat, & in hoc bono motu, nimirum naturali, constituebant primam causam salutis ex parte nostra, eamque dicebant, esse meritum omnis gratię supernaturalis,quod autem,vt dictum est, loquerētur de merito naturali, patet cum dixe-

dixerint fidem quoad eius initium, non esse donum Dei, sed esse in nobis, ex nobis, & propter illam reddi à Deo cætera dona salutis, hęc ex Aluarez.

Cardinalis Baronius ad annum 467. cum sæpè, inquit, Pelagianis licet damnatis erroribus, Pelagianoque nomine prorsus infami reddito, quidam Gallicani presbiteri (scilicet Massilienses) etsi Pelagium damnare viderentur, ex obliquo tamen, eidem fauerent, impugnantes Sancti Augustini aliqua scripta, aduersus Pelagianos edita; contra hos fuit S. Prospero, & Hilario laborandum, sub Cælestino Romano Pontifice, cuius authoritate, obstrusa sunt ora (vt psalmus 30. ait), loquentium mendacium, & loquentium aduersus iustum, iniquitatem, in superbia, & in abusione; postea verò cum & noua arte, eadem doctrina praua serperet, essetque qui aduersus Pelagium scribens, nihilominus cōtra Augustini sententias eumdem strueret apparatum armorum; his continuo fuit Sanctis Patribus occurrendum.

Hic Sacer conuentus, inquit Binius tomo 2. Concil. parte prima, habitus fuit occasione Scriptorum quorundam Fausti Rhegiensis, qui circa annum Christi 472. S. Prospero in Rhegiensi Episcopatu substitutus de gratia Dei, qua saluamur, Pelagium damnans, verè pelagianizat: adeo vt pręfati presbiteri primo, deinde Faustus videretur prędictam seminare doctrinam.

Quis-

§ 2.

Quisnam Arausicanorum canonum author?

HViusmodi ergo occasione, inquit Baronius ad prefatum annum 463. Sacer conuentus habitus fuit (hæc occasio est illa, quam §. 1. dederat Missiliensium, & Fausti doctrina.) Vbi in Synodo, inquit Baronius, congregatis Episcopis, quę essent, sinceræ fidei, certę, verę que sententię, ex fonte deductę purissimo, placuit promulgari, nempè quę à Romano Pontifice, ad Galliarum Episcopos, missa decreta fidei essent, nota omnibus fieri; vnde hęc ipsa Sanctis Sacerdotibus in Synodo congregatis, præfatus est, qui Synodo prefuit Cęsarius Episcopus Arelatensis, peruenit ad nos &c. vt in initio Synodi habetur, constat ex dictis, præfatos canones fuisse quidem missos in Galliā à Sede Apostolica, sed à quo Pontifice, variant authorum sententiæ, Binius tomo 2. par. 1. putat conditos fuisse à S. Cęlestino primo, & esse ea ipsa capita, quę in Epistola eiusdem Cęlestini ad Episcopos Galliæ recensentur, his canonibus simillima: Baronius verò opinatur conditos fuisse à Sancto Leone primo, & in Galliam ab eodem missos, licet non fuerint publicati, nisi in hac secunda Arausicana Synodo; inter has sententias litem nolo dirimere, sufficiat, quod à Sede Apostolica fuerint conditi, & destinati.

De

§. 3.

De Arausicanorum Canonum numero, & authoritate.

HÆc prælocutus, (inquit Baronius ad annum 463. scilicet, quę habentur, in initio Synodi) primarius antistes, nempè Cæsarius, ipse & reliqui Patres subiecere capita viginti quinque, quibus omne virus erroris pelagiani prorsus exstinguitur, & sacra doctrina patrum, firmius roboratur; quæ, & à quatuor Galliarum prefectis, & à viris consularibus (hoc inferius corrigitur) qui sacris encęniis interfuere, subscriptione firmata voluerunt, vt suo ipsorum obstricti tenerentur Chirographo, ne quouis modo fallacibus hæreticorum artibus, aditus aliqua ex parte pateret.

Quot sunt canones huius concilij, inquit Binius, tot sententiæ Catholicæ Ecclesię, hic sunt stabilitæ, à quibus absque prçuaricationis periculo, nulli fideli recedere licet. Et tam ipse, quam Baronius declarant prçfatos canones, qui secundum Binium, in vno loco sunt tantum 24. secundum eundem paulo superius, & Baronium, ac numeros ad marginem appositos, sunt 25. suum robur accepisse ab authoritate Sedis Apostolicæ.

Vnde illud, inquit Baronius, summa diligentia obseruandum, quod Sanctissimi, atque Do-

Doctissimi Patres, pugnaturi aduersus hostes gratię Dei, nimium libero arbitrio tribuentes, nullo potentiore modo id fieri posse existimauerint, quam si Sacrosanctę Sedis Apostolicę, authoritate inniterentur; fuisse autem etiam in hac Synodo condemnatam rursus hæresim prędestinatianorum, constat ex canone, vel numero vltimo, versus finem.

Quod verò Baronius ait hanc Synodum fuisse subscriptam à quatuorGallię pręfectis, Petro, Marcellino &c. hoc emendat in appendice subiuncta ad tomum decimum, & ad annum 529. & ex ipso Binius in notis ad hanc Synodum, aitque sic legendum esse ex codice Vaticano, Petrus Marcellinus Fœlix Liberius vir clarissimus, & illustris præfectus prætorii Calliarum, atque Patricius consentiens subscripsit. Vnde mendosa est lectio, viri clarissiuni, & illustres pręfecti, & legi debet, vt iam dictum est. Postea subscripsere alij viri laici Siagrius, Opilio &c. hactenus de Arausicana Synodo.



CA-

CAPVT IV.

Prohibentur errores Iconomachorum.

Definitio Sanctæ Magnæ, & vniuersalis in Nicæa Synodi secundæ.

Sancta Magna, & vniuersalis Synodus, quæ gratia Dei, & iuxta pium Christi amantium Imperatorum nostrorum Constantini, & Irenes illius matris decretum, secundo in splendida Nicæa Metropoli, quæ est in Bithynia, in Sacra Dei Ecclesia Sophia congregata, traditionem Catholicæ Ecclesiæ secuta hæc definiuit subiecta.



Vi Nobis cognitionis suę lumen gratis dedit, & tenebras, caliginemque Idolorum insanię discussit, nosque ab ea liberauit, Christus Iesus Deus noster. qui suam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam sibi desponsauit eam diligenter custodiendam esse præcepit, & discipulis confirmauit dicens; Vobiscum sum omnibus

diebus vsque ad consummationem sæculi. Hanc verò promissionem non solùm illis, sed & nobis fecit, qui per illos credimus in nomen illius. Hanc igitur donationem quidam contemnentes, ab impostore, & defraudatore inimico elatiores facti à recta ratione desciscentes, Catholicęque Ecclesię opponentes sese, circa veritatis intelligentiam peccarunt: Et vt dicit prouerbialis sermo, axes proprię agricolationis errare fecerunt, & manibus congregauerunt sterilitatem. Quandoquidem sacrarum dedicationum, & oblationum Deo decentem ornatum, calumniari non dubitarunt, appellantes se Sacerdotes, cum re vera non sint. De his Deus per Prophetam clamat: Multi Pastores destruxerunt vineam meam cõtaminauerunt portionem meam. Minimè enim Sanctos viros, qui sibi ipsis multa tribuunt, secuti, Sanctam nostram Ecclesiam, quam sibi Deus adoptauit, accusarunt, neque inter sacrum, & prophanum, vllum discrimen posuerunt: Nam Imagines Dei, & Sanctorum suorum, similitèr cum statuis, Satanicis idolorum nomine appellarunt. Igitur obedientiam suam ab insania istorum corrumpi, amplius non ferens Dominus Christus, Nos vndique Sacerdotalis Dignitatis Pręfectos, ecundum suum beneplacitum conuocauit, accedente huc diuino zelo, & nutu Constantini, & Irenes fidelissimorum nostrorum Imperatorum, quo diuina traditio Ecclesię Catholicę communi

ni suffragio authoritatem accipiat; Igitur cum omni diligentia perscrutantes, & inuestigantes, iuxta Scopum veritatis nobis propositum nihil adijcimus, nihil demimus; sed cuncta Ecclesiæ Catholicæ dogmata conseruamus, & sex vniuersalibus Concilijs inhærentes, eorum acta comprobamus. Principio secundum Synodum in splendida Nicęa congregatam, deinde in Regia Vrbe: Credimus in vnum Deum Patrem omnipotentem Creatorem Cœli, & Terræ &c. His sic se habentibus, Regiam viam incedentes, & Sanctorum nostrorum, & diuinorum Patrum doctrinæ insistentes, & Catholicæ Ecclesiæ, in qua Sanctus Spiritus inhabitat, traditionem obseruantes; Definimus cum omni diligentia, & cura, venerandas, & Sanctas Imagines ad modum, & formam venerandę, & viuificantis crucis è coloribus, & tesseles aut alia quauis materia commodè paratas dedicandas, & in templis Dei collocandas, habendasque tùm in sacris vasis, & vestibus, tum in parietibus, & Tabulis, in ędibus priuatis, in vijs publicis, maximè autem imaginem Domini, & Dei Seruatoris nostri Iesu Christi, deinde intemeratæ Dominæ nostræ Deiparę, Venerandorum Angelorum, & omnium deinde Sanctorum Virorum; quo scilicet per hanc imaginum pictarum inspectionem, omnes, qui contemplantur ad prototyporum memoriam, & recordationem, & desiderium veniant, illisque salutationem,

& honorariam adorationem exhibeant, non secundum fidem nostram, veram latriam, quę solum Diuinæ naturę competit, sed quemadmodum typo, venerandæ, & viuificantis Crucis, & Sanctis Euangelijs,& reliquis sacris oblationibus suffitorum, & luminarium reuerenter accedimus, quemadmodum veteribus piè in consuetudinem hoc adductum est: Imaginis enim honor in prototijpum resultat,&qui adorat Imaginem,in ea adorat quoque descriptum argumentum. Sic enim Sāctorum nostrorum Patrum obtinet disciplina, vel traditio Catholicæ Ecclesiæ, quæ à finibus vsque ad fines Euange-
1.Thess.2 lium suscepit. Paulo ergo sic in Christo loquenti, omnique Apostolico cœtui, & Patribus Sanctis idem sentientibus inhærentes seruamus traditiones,quas suscepimus. Quare, & victorię carmina ad Ecclesiam cum Propheta accinimus:Gaude valdè filia Sion, prędica filia Hierusalem, exulta,& lætare ex toto corde tuo: à te Deus abstulit iniquita-
Sophon.3 tes aduersantium tibi, liberata es de manu inimici tui, Dominus rex tuus in medio tui, & pax tibi in sempiterna sæcula.

Igitur qui ausi fuerint aliud sentire,aut docere,aut more Impiorum Hęreticorum,Ecclesiasticas traditiones contaminare, aut nouam quamdam vaniloquentiam inducere, aut quidquam de consacratis in Ecclesia abijcere: Euangelij inquam depictum codicem, aut figuram Crucis, aut Imaginis alicuius

cuius picturam, aut reliquias martyrum, quas sciuerint esse germanas, & veras, aut contra ista vafre,& improbè aliquid excogitare, quod sit contra Constitutionem Ecclesiasticam, aut vti tamquam communibus, sacratis Deo, repositis preciosis, aut Monasterijs reuerendis: si fuerint Episcopi, aut Clerici deponuntor. Si Monachi, aut laici communione priuantor.

Petrus miseratione diuina Protopresbyter Sanctissimæ Ecclesiæ Romanæ Beati Petri,& locum retinens Adriani Papæ veteris Romę, definiens subscrip.

Petrus indignus Presbyter, & Pręses Sancti Patris nostri Sabbæ,& vices agens Adriani Papę veteris Romę definiens subscr.

Tarasius miseratione diuina Episcopus Constantinopolitanus nouæ Romæ, patrum dogmatibus insistens, & Catholicæ Ecclesiæ adhęrens definien. subscr. &c.

Sancta Synodus exclamauit: Omnes sic credimus, omnes idem sapimus, omnes approbantes subscripsimus. Hęc est fides Apostolorum. Hęc est fides Patrum, hęc est fides Orthodoxorum, hæc fides Orbemterrarum confirmauit. Credentes in vnum Deum in Trinitate laudatum, venerandas imagines amplexamur. Qui secùs agunt, anathemate percellentor. Qui sic non sentiunt, ab Ecclesia depellentor: Nos antiquæ Ecclesiæ legis lationi insistimus, nos decreta patrum custodimus, nos adijcientes aliquid, aut au-

ferentes Ecclesiæ anathematizamus: Nos venerandas imagines suscipimus, nos, qui secùs faxint, anathemate percellimus, quicumque sententias Sacrę Scripturæ de Idolis contra venerandas Imagines adducunt, anathema. Qui venerandas Imagines Idola appellant, anathema. Qui dicunt, quod Imagines Christiani, vt Deos adorent, anathema. Qui scientes cõmunicant cum illis,qui cõtra venerandas Imaginessentiunt,aut eas dehonestant,anathema. Qui præter Christum Dominum Deum nostrum, dixerit alium nos à Cultu Idolorum liberasse, anathema. Qui audent Ecclesiam Catholicam dicere Idola, aliquando suscepisse, anathema &c.

Nota Seuerini Binij.

Hæc Sacrosancta Synodus,prout in reliquis anterioribus Concilijs vniuersalibus obseruatum est, rogatu, auxilio, & opera Imperatorum, iussu autem,& auctoritate Hadriani Pontificis indicta, & celebrata fuit. Nàm in sacra illa Diuali Epistola, quam Constantinus, & Irena ad Hadrianum per legatos transmiserunt, quæque supra inter præambulares nunc recens est excusa, post Iconomachiam Constantinopoli Superioribus tẽporibus habitam subiungunt: Vnde nunc constanter cum mundo corde, & vero cultu, quæ ad Deum pertinent. Vnacum omnibus subditis nostris, & his Sacerdotibus doctissimis

mis locuti sumus, & cum consilio decreuimus, vt fieret vniuersale Concilium, Et rogamus vestram paternam beatitudinem; vt det se ipsum: (idest suo consensu approbet, solitaquè præsentia confirmet) paulo post enim subiungunt: Ascendat huc in stabilitatem, & firmitatem antiquæ traditionis super venerabilibus Imaginibus: Quasi dicerent nihil firmum, & ratum est in Ecclesia, quod tua auctoritate non est confirmatum; rogamus ergò vt ad synodicè confirmandam antiquam de Sacrarum Imaginum cultu traditionem adesse dignetur is, sine cuius auctoritate nulla Synodus vniuersalis vnquam legitimè celebrata fuit: Hoc est, quod paulo infra aiunt: Et tamquàm primus verus Sacerdos, & is, qui in loco, & Sede Sancti, & super laudabilis Apostoli Petri præsidet (sicut dictum est) ascendat.

Hęc de auctoritate conuocati Concilij, qua occasione hæc Sacrosancta Synodus indicta fuerit, narratur act. 1. in Epistola Constantini, & Irenæ ad Concilium scripta: Et in apologia Tharasij, quæ extat apud Theofanem, & Anastasium in translatione Concilij VII. nimirum quod cum Paulus Patriarcha Constantinopolitanus, ob simulatam fidem, & Iuramento confirmatam perfidiam Iconoclastiæ, pœnitentiam acturus, Thronum reliquisset, vitamque monasticam suscepisset, dixerit; Nisi Synodus vniuersalis fiat, & error qui est in medio nostri, corriga-

tur, salutem non habebitis: Eoque dicto Successorem Tharasium, adeo commouerit, vt non nisi sub promissione Oecumenici Concilij celebrandi, oblatum munus Episcopale acceptare voluerit. Actorum Synodalium è Græco in Latinum triplex extat editio. Prima quidem de verbo ad verbum adeò inconcinna, atque inepta, vt nec eam librarij ex scribere dignarentur. Quæ dùm planè contemneretur, Anastasius Bibliothecarius opportunus interpres occurrit, atque eam secunda editione in latinum vertit, sensa sensibus, quàm diligentissimè reddens, eaque inter alia è Greco in Latinum translata Concilia Oecumenica in San. R. E. Archiuio recondidit. Postremo is, qui Anastasij versionem ignorauit, exolus primam, elaborauit aliam, quæ cum alijs Concilijs in his Conciliorum thomis cusa, communique vsui exposita habetur: Cui quantum præstet, quæ Anastasij est (inquit Baronius) intuebitur lector si legat, simulque conferat: Cumplura apud Anastasium inueniet, quæ inedita desiderantur, & ea quidem haud parui momenti, prout noster Petrus Morinus, qui contulit, diligentissimè annotauit: Nunc demùm iuxta votum illa, quę Rome iam multis annis expectata fuit, lucem aspexit, atque huic editioni Conciliorum inserta est, de qua Collector Romanæ ęditionis in frontispi-

cio

cio ista prenotauit: Septima Synodus cum grecis codicibus M. S. collata duobus Bibliothecæ Vaticanę, tertio Antonij Augustini Archiepiscopi Terraconensis, latina versio Anastasij nunc primum editur ex vetustissimis codicibus Vaticanis. Et quę in græco textu habentur, & in hac versione desiderantur, vel aliter legisse videtur Anastasius, quam nunc in codicibus Græcis habeatur, in margine indicauimus.



Digitized by Google

CAPVT V.

Prædestinatiana Hæresis denuò proscripta.

Errores Godescalchi Monachi Benedictini Monasterij Remensis in Gallia, condemnati in secunda Synodo Moguntina sub Rabano Archiepiscopo, tempore Leonis Quarti anno 847. vel 848. tom. 3. conc. par. 1. sect. 2. pag. 377.

§. I.

Quinam autem fuerint hi errores recenset Hincmarus Remensis in Epistola ad Nicolaum Primum.



ERVM si vestra sapientia catholica, articulos scire velit, quos contra fidem Ecclesiæ docere videtur, & quos, ex vetere hæresi Prædestinatianorum hausit (quę primùm fuit in Africa impugnata, & posteà in Francia, eodem tempore, quo hæresis Nestoriana sub Cælestino Papa, tàm huius auctoritate, quàm cura, & vigilantia Sancti Prosperi conuicta fuit) vobis

bis ordine exponam, non omnes articulos; quos tuetur, sed tantùm quosdam eorum, qui tamen maximi momenti sunt.

Dicit igitur, id quod antiqui Prædestinatiani etiam dicebant: Quod sicuti Deus quosdam prædestinauit ad vitam æternam; sic etiam alios ad mortem æternam prædestinauit. Quod Deus non vult omnes homines saluos fieri, sed dumtaxat eos, qui saluantur, nam si hi omnes non saluantur, quos Deus vult saluari: non omne fecit quod voluit: Quod si velit id, quod non potest facere; non est omnipotens, sed infirmus, & impotens: attamen omnipotens est, quia fecit omne, quod voluit, restante Scriptura: Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit, in cœlo, in terra, in mari, & in omnibus abyssis. Item: Cuncta, Domine Rex omnipotens, in ditione tua sunt posita, & non est, qui tuæ possit resistere voluntati: si decreueris saluare nos, illicò liberabimur. *Ps. 134.* *Esth. 13.*

Quod Iesus Christus Dominus noster, & Saluator non fuit crucifixus, neque mortuus est pro redemptione totius mundi, id est pro redemptione, & salute omnium hominum, sed tantùm pro his qui saluantur. Dicit, licet non omninò pari traditione, simili tamen errore, id quod veteres Prædestinatiani dicebant, quando hæc verba Sancti Petri Apostoli exponit: Negantes Dominum, qui eos redemit: Redemit eos, inquit, Sacramento Baptismi, nihilominùs, non passus est *1. Pet. 2.*

mor-

morrem crucis, nec ſanguinem effudit pro eis.

Ephеſ.4. Verum apertè Diuinus Paulus dicit, quod perceptio Baptiſmi vocatur redemptio: Nolite contriſtare (inquit) Spiritum Sanctum, in quo ſignati eis, in diem redemptionis. Et ſicut hæc electio, quæ tantùm propria, & ſpecialis eſt omnium electorum, & quam crucifixus pius, ac miſericors Redemptor, his tantummodò impertijt, quos redemit, & eripuit, & à præteritis peccatis lauit, ſic certè redemit, liberauit, & à delictis præſentibus abluit eos, qui nati ſunt, & qui naſcituri ſunt, viuos & mortuos, nimirum omnes electos. Et hi rectè ſunt mundus, pro quo *Ioan. 6.* Dominus paſſus eſt: non ſecus quam alibi dixit; Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.

Inſupèr idem Gotheſcalcus affirmat: Abſit velim non ſolùm dicam cogitare, verùm etiam ſemel muſſitare, quod ſerpens antiquus ad ſe rapere poſſit vnum eorum, pro cuius redemptione, Deo Patri ſuo, Dominus ſanguinem ſuum pretioſum effudit, Amen. Et alloquens Deum, dicit, Quare manifeſtum eſt nullum eorum perire, qui ſanguine tuæ crucis redemptus eſt.

Non minus perniciosè, quam audacter defendit id, quod antiqui Prædeſtinatiani non dixerunt, quod Deitas Sanctæ Trinitatis triplex eſt.

Multos alios articulos omitto, quos iſte, &

& plurimi ex nostris Patribus asserunt, qui veritati, & integritati nostræ fidei aduersa re videntur. Quos cum vestra auctoritas ab alio intellexerit, quam à mea temeritate, attentiùs perpendet, & quid de his credendum est, citó definiet: necessè autem est, hos resoluere. Et quamuis eorum corda insania corripuit, & deprauati sensus ferueant: tamen propter metum nostri Regis orthodoxi, suas impias opiniones euomere non audent: adeò vt his oculis cernamus, dictum Psalmistæ adimpleri: Congregans sicut in vtre aquas maris. Nam aqua maris tanquam in vtre, siue pelle coaceruatur, qui amata hæreticorum scientia, hodie ambitu Regni Domini Caroli vestri filij continetur; & quod sua zizania disseminare verentur. Me etiam calumniantur, & genuino dente rodunt, sed hoc patienter cum Dei auxilio feram, propterea, quod breui extremum vitæ diem finiam. Quod si inter filios Dei illis licet, Deo sic sinente, corpus meum affligere: meā patientiam, Deo opitulante exercebunt: Et vbi de fide malè sentientes, se aduersantes exhibebunt hoc aliquantulū scientiæ, quod in me est, acuent. Et quamuis me oderint: eos tamen diligam, & sic meam beneuolentiam probabunt.

§. 2.

§. 2.

Iterata Prædestinatiani erroris proscriptio.

Concilium Carisiacense celebratum circa annum 850. vel 848. apud Labbe tomo 8. pag. 55. Contra repullulantes Prædestinatianorum errores.

1 DEus omnipotens hominem sine peccato rectum, cum libero arbitrio condidit,& in Paradiso posuit,quem in sanctitate iustitiæ permanere voluit, Homo libero arbitrio malè vtens peccauit, & cecidit, & factus est massa perditionis totius humani generis. Deus autem bonus, & iustus,elegit ex eadem massa perditionis secundùm præscientiam suam, quos per gratiam prædestinauit ad vitam, & vitam illis prædestinauit æternam, Cæteros autem, quos iustitiæ iudicio in massa perditionis reliquit, perituros præsciuit;sed non vt perirent prædestinauit; pœnam autem illis, quia iustus est, prædestinauit æternam,ac per hoc vnam Dei prædestinationem tantummodo dicimus, quæ aut ad donum pertinet gratiæ, aut ad retributionem iustitiæ.

2 Libertatem arbitrij in primo homine perdidimus, quam per Christum Dominum nostrum recepimus: & habemus liberum ar-

arbitrium ad bonum præuentum, & adiutum gratia, & habemus liberum arbitrium ad malum desertum gratia. Liberum autem habemus arbitrium, quia gratia liberatum, & gratia de corrupto sanatum.

3 Deus Omnipotens, omnes homines sine exceptione vult saluos fieri, licet non omnes saluentur. Quod autem quidam saluantur, saluantis est donum. Quod autem quidam pereunt, pereuntium est meritum.

4 Christus Iesus Dominus noster, sicut nullus homo est, fuit, vel erit, cuius natura in illo adsumpta non fuerit; ita nullus est, fuit, vel erit homo, pro quo passus non fuerit; licet non omnes passionis eius mysterio redimantur. Quod verò omnes passionis eius mysterio, non redimuntur, non respicit ad magnitudinem, & pretij copiositatē, sed ad infidelium, & ad non credentium respicit partem. Quia poculum humanæ salutis, quod confectum est infirmitate nostra, & virtute Diuina, habet quidem in se, vt omnibus prosit; sed si non bibitur, non medetur.

Hæc contra Goteschalcum Prędestinatianorum errores resuscitantem, qui ante in Moguntina Synodo condemnati fuerunt, quales autem fuerunt errores præfati Goteschalchi, recenset Hincmarus Rhemensis, vt supra dictum est. Deniq; ijdē errores fuerūt condemnati in Concilio Valentino in Gallia,

lia, quod exstat apud Labbe tom. 3. pag. 134. ad annum 855.

§. 3.

Sententiæ Synodi Valentinæ contra Prædestinatianos.

1 De præscientia Dei, & de prædestinatione, & de quæstionibus alijs, in quibus fratrum animi nõ parum scandalizati probantur, illud tantùm firmissimè tenendum esse credimus, quod ex maternis Ecclesiæ visceribus nos hausisse gaudemus.

2 Nec prorsùs vlli malo præscientiam Dei imposuisse necessitatem, vt aliud esse non posset, sed quod ille futurus erat ex propria voluntate, ille sicuti Deus, qui nouit omnia antequam fiant, præscijt ex sua omnipotenti, & incommutabili maiestate, nec ex præiudicio eius aliquem, sed ex merito propriæ iniquitatis credimus condemnari: nec ipsos malos ideò perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt, suoque initio in massa damnationis, vel merito originali, vel etiam actuali permanserunt.

3 Fidenter fatemur in electione saluandorum, misericordiam Dei præcedere meritum bonum, in damnatione autem periturorum, meritum malum præcedere, iustum Dei iudicium. In malis ipsorum malitiam præ-

præsciſſe, quia ex ipſis eſt, non prædeſtinaſſe, quia ex illo non eſt. Aliquos ad malum prædeſtinatos eſſe Diuina poteſtate, videlicet vt quaſi aliud eſſe non poſſint, non solùm non credimus, ſed etiam ſi ſint, qui tantùm mali credere velint, ſicut Arauſicana Synodus, illis anathema dicimus.

Numero quarto idem ferè repetit, & ſentit quod profitetur numero 2. & 3. numero 5. declarat Synodus de gratia, & libero arbitrio ſe tenere, & ſentire, quod Sancti Patres, quod Africana, & Arauſicana Synodus profeſſa eſt, quod Beatiſſimi Pontifices Apoſtolicæ Sedis catholica fide tenuerunt.

ADNOTATIONES

In tres præfatas Synodos. Ex Rhabano, & Hincmaro.

§. I.

De occaſione prædictorum Conciliorum.

GOteſchalcus Monachus ſuſcitauit errores Prædeſtinatianorum, olim in Arelatenſi, Lugdunenſi, Arauſicana Synodo damnatos, vt vidimus, circa quem tria referuntur, primò quod fuerit condemnatus in Moguntina Synodo ſecunda. Deinde quod graſſante vlterius errore, rurſùs fuerit damnatus in Cariſiaca Synodo in Gallia, &

carceri inclusus. Tertiò videtur condemnatus in Valentina Synodo tertia, etiam in Gallia. Circa primum narrat epistola Synodica Concilij Moguntini, tomo tertio Concil. Galliæ pag. 66. quid ibidem actum sit. De eo est epistola Rhabani, ad Hincmarum Rhemensem. Rursùs Hincmarus, quæ in illa Synodo gesta sunt, narrat lib. de Prædest. cap. 2. & cap. 24. & 25. Magnæ authoritatis fuit hæc Moguntina Synodus, ob præsentiam Rhabani Mauri, ab Authoribus tantoperè laudati.

§. 2.
De Carisiaca Synodo.

Qualitèr iterum Goteschalcus fuerit damnatus in hac Synodo Carisiaca, narrat Hincmarus lib. de Prædest. cap. 2. fusè; in illa Synodo edita fuerunt illa capitula, quæ Carisiaca vocantur. Sententiam in Goteschalcum latam in præfata Synodo, refert Hincmarus dicto loco, quæ sic se habet, Vt de cætero doctrinale tibi officium vsurpare non præsumas, perpetuum silentium ori tuo imponimus.

§. 3.
De Synodo Valentina Tertia.

Dum rursùs serperet Goteschalchi doctrina, habitum est Concilium Valentinum ter-

tertium,anno 855. apud Labbe tomo 8. vbi edita sunt capitula superiùs enumerata. Vbi notandum quod Ebbo Episcopus, qui hic interfuit, habens occultas simultates cum Hincmaro, eo quod dictus Ebbo fuerit nepos illius Ebbonis, qui ob coniurationem in Ludouicum Pium, fuit pulsus Sede Rhemensi, in cuius locum successit Hincmarus, hic inquam iunior Ebbo, tunc Episcopus Gratianopolitanus, infensus Hincmaro, illi & Carisiacæ Synodo obtrectabat, atque in hac Valentina Synodo verba illa inseruit: Pono capitula quatuor &c. vt ibidem apud Labbe in actis huius Synodi legitur; indeque arripuit ansam Vsserius; Volens pro Caluinismo suo stare contra decisiones harum trium Synodorum latas aduersus errores Prædestinatianorum, quibus erroribus Vsserius vtpotè Caluinista adhærebat, vt assereret, Episcopos Episcopis, Synodos oppositas Synodis, infestisque obuia signis, signa, pares aquilas, & pila minantia pilis. Hæc ille contra prædictas sanas, & sacras definitiones remurmurans in libro à se inscripto, *Goteschalchi, & Prædestinatianę controuersia ab eo motę Historia*; sed præferenda semper hæretico genio Vsserij, prædictorum Conciliorum veneranda sententia; verba verò ab Ebbone inserta, ab ipsis Synodi Authoribus sublata sunt circa an-

num 859. ex quibus omnibus colliges Prædestinatianorum errores fuisse sæpiùs proscriptos, ac primo in Arelatensi Synodo tertia, mox in Lugdunensi conuentu, vt patet ex epistolis Fausti, & Lucidi; Secundo in Arausicano Concilio secundo; Tertio in Synodo Moguntina secunda. Quarto in Concilio Carisiaco. Quinto in Synodo Valentina tertia. Et hæc de his.



Digitized by Google

CAPVT VI.

Decreta Generalis Concilij Lateranensis sub Innocentio Papa III. Summo Pontifice.

De Fide Catholica.

§. I.

CAPVT PRIMVM.



Irmiter credimus, & simpliciter confitemur, quòd vnus solus verus Deus æternus, & immensus, omnipotens, incommutabilis, incomprehẽsibilis, & ineffabilis Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tres quidem personæ, sed vna essentia, substãtia, seù natura simplex omninò. Pater à nullo, filius autem à solo Patre, ac Spiritus Sanctus ab vtroque pariter absque initio semper, & fine, Pater generans, filius nascens, & Spiritus Sanctus procedens: Consubstantiales, & coæquales, coomnipotentes, & coæterni, vnum vniuersorum principium, Creator omnium inuisibilium, & visibilium spiritualium, & corporalium, qui sua omni-

nipotenti virtute simul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam: Ac deinde humanam quasi communem ex spiritu, & corpore constitutam, Diabolus enim, & dæmones, alij à Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali, homo verò Diaboli suggestione peccauit.

Hæc Sancta Trinitas secundum communem essentiam indiuidua, & secundum personales proprietates. Discreta, per Mosen,& Sanctos Prophetas, aliosque famulos suos, iuxta ordinatissimam dispositionem temporum, doctrinam humano generi tribuit salutarem.

Et tandem vnigenitus Dei filius Iesus Christus à tota Trinitate communiter incarnatus, ex Maria semper Virgine Spiritus Sancti cooperatione conceptus,verus homo factus, ex anima rationali, & humana carne compositus, vna in duabus naturis persona, viam vitæ manifestius demonstrauit. Qui cũ secundum Diuinitatem sit immortalis, & impassibilis, idem ipse secundum humanitatem factus est passibilis, & mortalis: quin etiam pro salute humani generis in ligno crucis passus, & mortuus descendit ad inferos,resurrexit à mortuis,sed ascendit in Cœlum, sed descendit in anima, resurrexit in carne, ascenditque pariter in vtroque, venturus in fine sæculi iudicare viuos, & mortuos,

tuos, redditurus singulis secundum opera sua tàm reprobis, quàm electis. Qui omnes cum proprijs suis corporibus resurgent, quæ nunc gestant, vt recipiant. Secundum merita sua, siue bona fuerint, siue mala, illi cum diabolo pœnam perpetuam, & isti cum Christo gloriam sempiternam.

Vnà verò est fidelium vniuersalis Ecclesia, extra quam nullus omnio saluatur. In qua idem ipse Sacerdos, & sacrificium Iesus Christus, cuius corpus, & sanguis in Sacramento Altaris sub speciebus panis, & vini veracitèr continentur, transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinm potestate Diuina, vt ad perficiendum Magisterium vnitatis accipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro. Et hoc vtique Sacramentum nemo potest conficere, nisi Sacerdos, qui fuerit ritè ordinatus secundum claues Ecclesiæ, quas ipse concessit Apostolis, & eorum Successoribus Iesus Christus.

Sacramentum verò Baptismi, quōd ad inuocationem indiuiduæ Trinitatis, videlicet Patris, & filij, & Spiritus Sancti consecratur in aqua tàm paruulis, quàm Adultis in forma Ecclesiæ à quocumque ritè collatum proficit ad salutem.

Et si post susceptionem baptismi quisquã prolapsus fuerit in peccatum, per veram pœnitentiam semper potest reparari. Non solum autem Virgines, & Continentes, verum etiam, Coniugati per fidem rectam, & ope-

tionem bonam placentes Deo, ad æternam merentur beatitudinem peruenire.

§. 2.

De errore Abbatis Ioachimi.

CAPVT II.

DAmnamus ergo, & reprobamus libellum, siue tractatum, quem Abbas Ioachim edidit cõtra Magistrum Petrum Lombardum de vnitate, seu essentia Trinitatis, appellans ipsum Hæreticum, & insanum pro eo, quod in suis dixit sententijs, quoniam quædam summa res est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, & illa non est generans, neque genita, nec procedens. Vndè asserit, quod ille non tàm Trinitatem, quàm quaternitatem adstruebat in Deo, videlicet tres personas, & illam cõmunem essentiam quasi quartam manifestè protestans, quod nulla res est, quæ sit Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, nec est essentia, nec substantia, nec natura: quamuis concedat, quod Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt vna essentia, vna substantia, vnaque natura. Verum vnitatem huiusmodi non veram, & propriam, sed quasi collectiuam, & similitudinariam esse fatetur, quemadmodum dicuntur multi homines vnus populus, & multi fideles vna Ecclesia, iuxta illud: Multitudinis credentium

tium

tium erat cor vnum, & anima vna: & qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt cum illo. Item qui plantat, & qui rigat vnum ſunt, &, omnes vnum corpus ſumus in Chriſto.

Rurſus in libro Regum: Populi meus, & populus tuus vnum ſunt. Ad hanc autem ſententiam adſtruendam, illud potiſſimum verbum inducit, quod Chriſtus de fidelibus, inquit in Euangelio: Volo Pater, vt ſint vnũ in nobis, ſicut & nos vnum ſumus, vt ſint conſumati in vnum. Non enim, vt ait, fideles Chriſti ſunt vnum, id eſt vna quædam res, quæ communis ſit omnibus, ſed hic modò ſunt vnum, id eſt vna Eccleſia propter Catholicæ fidei vnitatem, & tandem vnum regnum propter vnionem indiſſolubilis charitatis: Quemadmodum in Canonica Ioannis Epiſtola legitur: Quia tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, & Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum ſunt. Statimquè ſubiungitur; Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis: & hi tres vnum ſunt, ſicut in codicibus quibuſdam inuenitur.

Nos autem ſacro, & vniuerſali Concilio approbante credimus, & confitemur cum Petro, quod vna quædam ſumma res eſt, incomprehenſibilis quidem, & ineffabilis, quæ veraciter eſt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus tres ſimul perſonę, & ſingulatim quælibet earundem: & ideò in Deo Trinitas eſt ſolummodo, non quaternitas: quia quælibet

trium

trium personarum, & illa res, videlicet substantia, essentia, siuè natura diuina, quæ sola est vniuersorum principium, pręter quod aliud inueniri non potest, & illa res non est generans, neque genita, nec procedens, sed est Pater, qui generat, filius, qui gignitur, & Spiritus Sanctus, qui procedit, vt distinctiones sint in personis, & vnitas in natura. Licet igitur alius sit Pater, alius filius, alius Spiritus Sanctus, non tamen aliud, sed id, quod est Pater, est Filius, & Spiritus Sanctus. Idem omninò, vt secundum orthodoxam, & Catholicam fidem consubstantiales esse credātur. Pater enim ab æterno filium generando suam substantiam ei dedit iuxta quod ipse testatur: Pater quod dedit mihi maius est omnibus, ac dici non potest, quod Partem suę substantiæ illi dederit, & partem retinuerit ipse sibi, cum substantia Patris indiuisibilis sit, vt poté simplex omninò. Sed nec dici potest, quod Pater in filium transtulerit suā substātiam generando, quasi sic dederit eam filio, quod non retinuerit ipsam sibi, alioquin desijsse esse substantia. Patet ergó quod sine vlla diminutione filius nascendo substantiam Patris accepit, & ita Pater, & filius habent eandem substantiam, & sic eadem res est Pater, & filius, nec non, & Spiritus Sanctus ab vtroque procedens.

Cum ergo veritas pro fidelibus suis ad patrem orat, volo inquiens, vt ipsi sint vnum in nobis, sicut & nos vnum sumus: Hoc nomen,

men, vnum, pro fidelibus quidem accipitur, vt intelligatur vnio Charitatis in gratia: Pro personis verò diuinis, vt attendatur identitatis in natura vnitas, quemadmodum veritas alibi ait: Estote perfecti sicut, & Pater vester cælestis perfectus est, ac si diceret manifestius: Estote perfecti perfectione gratiæ, sicut Pater vester cælestis perfectus est perfectione naturæ, vtraque videlicet suo modo, quia inter Creatorem, & creaturam non potest tāta similitudo notari, quin inter eos maior sit dissimilitudo notanda.

Si quis igitur sententiam, siue doctrinam præfati Ioachim in hac parte defendere, vel approbare præsūpserit tamquā hæreticus ab omnibus confutetur. In nullo tamen per hoc Florensi Monasterio, cuius ipse Ioachim extitit institutor, volumus derogari, quoniam ibi, & regularis institutio est, & obseruantia salutaris, maximè cum idem Ioachim omnia scripra sua nobis assignari mandauerit Apostolicæ Sedis Iudicio approbanda, seù etiam corrigenda, dictam Epistolam cui propria manu subscripsit, in qua firmitèr confitetur se illam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, quæ Cunctorum fidelium disponente Domino, mater est, & magistra.

Reprobamus etiam, & damnamus peruersissimū dogma impij Almarici, cuius mentē sic pater mēdacij excæcauit, vt eius doctrina non tâm censenda sit hæretica, quàm insana.

De

§. 3.

De Confessione facienda, & non reuelanda à Sacerdote, & saltem in Pascha communicando.

Omnis vtriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis peruenerit omnia sua solus peccata confiteatur fideliter saltem semel in anno proprio Sacerdoti,& iniunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere suscipiens reuerentèr ad minus in Pascha Eucharistię Sacramentum, nisi fortè de consilio proprij Sacerdotis ab aliquam rationabilem causam ad tempus a b eius perceptione duxerit abstinendum: Alioquin & viuens ab ingressu Ecclesię arceatur, & moriens Christiana careat sepultura. Vnde hoc salutare statutum frequentèr in Ecclesijs publicetur, nè quisquam ignorantiæ cæcitate velamen excusationis assumat. Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit iusta de causa sua confiteri peccata licentiam priùs postulet, & obtineat à proprio Sacerdote, cum aliter ipse non possit soluere, & ligare.

Sacerdos autem discretus, & cautus more periti medici superinfundat vinum, & oleũ vulneribus sauciati,diligentèr inquirens, & peccatoris circumstantias,& peccati,per quas prudenter intelligat, quale illi consilium debeat exhibere, & cuiusmodi remedium adhibere

hibere diuersis experimentis vtendo ad sanandum ægrotum.

Caueat autem omninò nè verbo vel signo, vel alio quouis modo prodat aliquatenus peccatorem, sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque vlla expressione personæ cautè requirat; quoniam qui peccatum in pœnitentiali iudicio sibi detectum præsumpserit reuelare, non solum à sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam, ad agendam perpetuam pœnitentiam, in arctum Monasterium detrudendum.

§ 4.

Nota in Caput primum quarti Concilij Lateranensis ex Seuerino Binio, nec non Reynero Ord. Prædicatorum in libro, quem scripsit contra Valdenses.

Binius sic habet, Concilium Lateranense contra Albigenses &c.

Ita sentiendum existimo, tum quod Capitulo primo, & 21. huius Concilij illa dogmata fidei de principio creationis, corporum resurrectione, Baptismo, Eucharistia, pœnitentia, inferno, de matrimonio alijsque pluribus fidei articulis hic à Patribus Concilij asserantur, & definiantur, quæ Albigensibus Auctoribus, vt supra in Concilio Lateranēsi III. notaui, impugnabantur: Tum etiam quod decreto eiusdem Concilij, vt refert

Mat

Matthęus Paris, datus sit comitatus Tholosanus Simoni Montifortensi Comiti, qui eosdem Albigenses Philippi Regis Francorum auctoritate, & Germanorum Principū subsidio fretus duodecimo forè anno postquam cœperunt bello oppugnari, vel ad pœnitentiam adegit, vel omnino fugauit, & extirpauit. De Albigensium hęresibus earumque condemnationibus, vide supra sub Alexandro Tertio Concilium celebratum anno 1176.

Varia erant nomina huius sectæ, ab aliquibus vocabantur Catari, Item Patareni, Brabancones, Baschi, Cotterelli, Triauerdini, vt videre est in Concilio tertio Lateranensi cap. 27. vocabantur Item Albigenses à loco dicto Albegesio, vt patet ex eodem Concilio, & Capite nunc citato: Quinam autem fuerint præcipui horum Sectariorum errores narrat Raynerus in libro, quem scripsit contra Valdenses cap. 5.

Primo dicunt, quod Romana Ecclesia non sit Ecclesia Iesu Christi, sed sit Ecclesia Malignantium, & quod defecerit sub Syluestro, quando venenum temporalium infusum est in Ecclesiam, & dicunt quod ipsi sint Ecclesia Christi, quia doctrinam Euangelij, & Apostolorum verbis, & exemplis obseruent.

Secundus error est, quod omnia vitia, & peccata in Ecclesia sint: quod ipsi soli iustè viuant.

Tertius est, quod doctrinam Euangelicam pœnè nullus seruet in Ecclesia, præter eos.

Quartus, quod ipsi sint verè pauperes spiritu, & persecutionem patiuntur propter Iustitiam, & fidem.

Quintus, quod ipsi sint Ecclesia Iesu Christi.

Sextus, quod Romana Ecclesia sit meretrix in Apocalypsi propter superfluum ornatum, quem Ecclesia Orientalis non curat.

Septimus, quod omnia statuta Ecclesiæ contemnunt, quia sunt grauia, & plurima.

Octauus, quod Papa sit caput omnium errorum.

Nonus, quod Prælati sint Scribę, & Religiosi Pharisæi.

Decimus, quod Papa, & omnes Episcopi sint homicidę propter bella.

Vndecimus, quod non sit obediendum Prælatis, sed tantùm Deo.

Duodecimus, quod nemo maior sit altero in Ecclesia Matth. 23. Omnes vos Fratres estis.

Decimus tertius, quod nemo debet flectere genua Sacerdoti Apoc. 2, vbi dicit Angelus Ioanni, vide ne feceris.

Decimus quartus, quod decimæ non sint dandæ, quia primitiæ Ecclesiæ non dabantur.

Decimus quintus, quod Clerici possessiones non debeant habere: Deut. 19. Non habebunt Sacerdotes, & omnes, qui de tribu

Leui

Leui sunt partem, & hęreditatem cum populo Israel, quia sacrificia comedunt, & nihil aliud accipient.

Decimus sextus, quod Clerici, & Claustrales non debeant præbendas habere.

Decimus septimus, quod Episcopi, & Abbates non debeant Iura regalia habere.

Decimus octauus, quod terra, & populus non sit per partes diuidendus.

Decimus nonus, quod malum sit dotare, & fundare Ecclesias, & Claustra.

Vigesimus, quod testamenta non sint Ecclesijs ordinanda. Item, quod nullus debeat fieri Ecclesiæ Censualis. Item omnem Clerum damnant propter otium, dicentes: eos manibus debere operari sicut Apostoli fecerunt. Item omnia opera Pręlatorum reprobant, sicut Papæ Episcoporum &c.

Item quod nullus sit cogendus ad fidem, Item, quod omnia officia Ecclesiastica, nulla reputant, Item priuilegia Ecclesiastica non curant. Item immunitatem Ecclesiæ, & personarum, & rerum Ecclesiasticarum spernunt. Item dicunt, quod omnia Iura Parochialia sint adinuentiones. Item Concilia, Synodus, & Conuentus spernunt. Item dicunt, quod obseruantiæ per homines Religiosos factæ sint traditionis Pharisęorum.

Secundo omnia Sacramenta Ecclesiæ dānant. Primo de Baptismo dicunt, quod Cathechismus nihil sit. Item quod ablutio, quæ datur infantibus, nihil prosit. Item quod Pa-

Patrini non intelligant, quid respondeant Sacerdoti, quod oblatio illa, quæ dicitur -- Anvvegung -- sit adinuentio. Item omnes exorcismos, & benedictiones baptismi reprobant. Item Sacramentum confirmationis reprobant. Mirantur etiam quare solis Episcopis liceat confirmare. Item de Sacramento Eucharistiæ dicunt, quod Sacerdotes in mortali non possint conficere. Item dicunt, quod transubstantiatio non fiat in manu indignè conficientis, sed in ore dignè sumentis: Et quod confici possit in mensa communi Malachiæ 1. In omni loco offertur nomini meo oblatio munda. Item quod semel in anno fideles communicant, hoc reprobant. Quia, ipsi quotidiè communicant, Item dicunt, quod transubstantiatio fiat per verba vulgaria. Item dicunt, quod missa nihil sit, neque proficit. Item osculum pacis, & Altaris reprobant.

De Sacramento pœnitentiæ dicunt, quod nullus possit absolui à malo Sacerdote. Item quod bonus Laicus potestatem habeat absoluendi. Item quod ipsi per manus impositionem peccata dimittant, & dent Spiritum Sanctum. Item quod potius confitendum sit bono laico, quàm malo Sacerdoti. Item quod non grauis pœnitentia sit imponenda, exemplo Christi -- Vade, etiam amplius noli peccare --. Item publicas pęnitentias, vt Carenas, reprobant, maximè in fęminis. Item quod generalis confessio non sit sin-

gulis annis facienda.

Item Sacramentum Coniugij damnant, dicentes, mortaliter peccare Coniuges, si absque spe prolis conueniant. Item compaternitatem nihil reputant. Item gradus affinitatis, & consanguinitatis carnalis, & spiritualis, quos Ecclesia instituit, & impedimenta Ordinis, & publicæ honestatis, & Ecclesiæ vetitum spernunt. Item dicunt, quod fęmina post partum non egeat benedictione, & introductione. Item quod Ecclesia errauerit, dicunt, matrimonium Clericis prohibendo, cum etiam Orientales contrahant. Item dicunt, quod continentes non peccent per oscula, & amplexus.

Sacramentum Vnctionis etiam reprobant, quia tantùm diuitibus datur, & propter plures Sacerdotes ibi necessarios. Item Sacramentum Ordinis dicunt nihil esse. Item dicunt, quod omnis laicus bonus sit Sacerdos sicut Apostoli laici erant. Item quod oratio mali Sacerdotis nihil proficit. Item quidquid prædicatur, quod per textum Bibliæ non probatur, pro fabulis habent. Item dicunt, quod Sacra Scriptura eundem effectum habeat in vulgari, quem in latino. Vnde etiã conficiunt in vulgari, & dant Sacramenta. Item Testamenti noui textum, & magnam partem veteris vulgariter sciunt corde. Item Decretales, & Decreta, & dicta, & expositiones Sanctorum respuunt, & tantùm inhærent textui. Itẽ excommunicationẽ contemnunt,

&

& absolutionem non curant. Item Indulgentias Ecclesiæ respuunt, & dispensationes derident; Irregularitatem non credunt. Item nullum Sanctum credunt, nisi Apostolos: Nullum Sanctum inuocant nisi Deum solum; Item canonizationes, translationes, & vigilias Sanctorum contemnunt. Item de dedicationes Ecclesię, vel Altaris nihil curant. Item ornatum Ecclesiæ dicunt esse peccatũ, & quod melius esset vestire pauperes, quàm ornare Parietes. Item de Altari dicunt, quod damnum sit pannum putrescere super lapide: Et quod Christus non dederit Apostolis stolas nec Casulam, nec infulam. Item conficiunt in Piccario pro Calice. Et dicunt, quod corporale sit, vt pannus braccarum. Item de Lumine dicunt, quod Deus, qui est vera Lux, non egeat Lumine: & ad hoc tantum valere in Ecclesijs, ne Clerici ibi pedes lædant. Contra præfatos hæreticos strenuè, & cum magno fructu editis etiam contra eos miraculis decertauit Sanctus Dominicus, vt habet Sanctus Antoninus tertia parte tit. 19.

§ 5.

Notę ex Seuerino Binio in Caput secundum.

Abbatis Ioachimi errores: qui Abbas Ioachim, qui eius errores ab Ecclesia damnati fuerint, indicatur supra Capitulo secundo huius

huius Concilij Lateranensis. Quo tempore in hunc errorem prædictus Abbas inciderit, indicat Matthæus Paris in Historia Anglica anno 1179. his verbis: Scripsit etiam eiusdem (Alexandri Papæ) diebus contra eundem Petrum Lombardum, Abbas Ioachim Florensis Cœnobij libellum vocans eum hæreticum, & insanum eo quod in libro sententiarum, quem composuerat idem Petrus de vnitate, siue essentia Trinitatis dixit: quoniã quædam summa res est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, & illa non est generans neque genita, neque procedens. Contra hanc assertionem opposuit Abbas præfatus, quod non tam Trinitatẽ adstruebat in Deo, quàm quaternitatem, tres videlicet personas, & illam communem essentiam &c. Prout habetur supra cap. 2: & paulo infra subiungens ait: stetit autem hæc indeterminata altercatio à diebus Alexandri Papæ, vsque in tempora Innocentij Papæ per multos annos, sedentibus inter eos in Cathedra Romana, Lucio, Gregorio, Clemente, & Cælestino Pontificibus Romanis, quibus succedens Innocentius Tertius anno Domini 1215. Romæ generale Concilium celebrans libellum Abbatis Ioachim, quem contra Petrum, & articulum ediderat prædictum suis verbis damnauit: Nos sacro &c. prout habetur supra cap. 2.

Almerici Hæreses: Hæreses Almarici hac Synodo damnatas esse patet cap. 2. quis autem

tem Almaricus, queque eius hæreses fuerint, Robertus Gag. lib. 6. Sub Philippo Rege describit his verbis.

Fuit Almaricus natione Gallus patria Carnotensis, lutetiæ Parisiorum impietatis Doctor, inter Vesanos mentis eius errores recensentur præcipui, qui sequuntur.

1 Dicebat corpus Christi non aliter esse in pane altaris, quàm in alio pane, & in qualibet alia re, transubstantiationem denegans.

2 Deum sic locutum fuisse in Ouidio; sicut in Augustino.

3 Negebat pręterea resurrectionem corporum; paradisum similiter, & infernum; sed qui in se Dei cognitionem haberet, illum habere quoque in se paradisum, qui contra peccatum mortale haberet, eundem infernum habere in se, non aliter quam dentem putridum in ore.

4 Altaria Sanctis dicata, & imagines thurificare; Sanctorumque inuocationes, idolatriam esse asserebat.

5 Non solum cum Armenis Adam, & Euam numquam carnali Copula iungendos, si in statu illo, in quo Deus illos condidit, permansissent; verum etiam sexuum differentiam nullam, sed hominum multiplicationem æquè atque Angelorum futuram asserebat affirmando, contra illud, quod in Genesi scribitur; Creauit Dominus homiminem ad imaginem, & similitudinem suã; ad imaginem Dei creauit illum, masculum,

& feminam creauit illos.

6 Asserebat rursus Deum non videri in se, sed in creaturis sicut lumen in aere.

7 Item illud, quod alias est peccatum mortale, factum in charitate non esse peccatum, impunitatem peccatorum promittens.

8 Affirmabat denique, ideas quæ sunt in mente diuina, & creare, & creari posse: Cum contra teste Augustino, in mente diuina nihil, nisi æternum, & incommutabile sit.

9 Somniabat quoque mentem contemplatiui, vel Beati perdere suum esse in proprio genere, & redire in illud esse ideale, quod habuit in mente diuina.

10 Docebat deinde omnes creaturas in fine in Deum redire, & in ipsum conuerti, vt sint vnum indiuiduum cum ipso; Vnde per consequentiam in resurrectione duplicem fore sexum negabat.

Hæc, & plura alia insana, cum insaniret multosque sequacium errore suo imbueret, ab Episcoporum, & Theologorum Parisiensium Concilio conuictus ex mœrore animi interijt, multi complices Senatus consulto damnati, & coram vniuerso populo exauthorati, deinde flammis exusti, eorumque Cineres per Sterquilinium dispersi sunt. Tradunt autem, quod cum illi ad suppliciũ ducerentur tanta oborta sit aeris inclementia, & intemperies, vt nemo dubitaret quin ab eis aer fuisset concitatus, à quibus

tan-

tantus terror morientibus fuerat persuasus. Nam dicuntur tunc tam obstinata mente fuisse, vt non solum ad interrogata nullum darent responsum, sed nec in eis in ipso mortis articulo vllum pœnitentiæ, aut sanæ mentis, & resipiscentiæ perpendi potuisse indicium. Almaricus à Generali Concilio Laterani ea potissimum de causa celebrato hæreseos damnatus, & anathemati subiectus postea iussu Philippi Gallorum Regis ex humatus, exustusque est,



CAPVT VII.

Damnatio errorum Gulielmi de Sancto Amore.

Constitutio VIII. Alexandri IV.

Damnatio libri, de periculis nouissimorum temporum nuncupati, nonnulla impia, scandalosa, & execrabilia continentis.

Alexander Episcopus Seruus Seruorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.



OMANVS Pontifex de Summi Apostolatus specula Vrbi, & Orbi debita seruitute prospiciens, curis occupatur innumeris, & cogitationibus rapitur infinitis, quia eminentior cęteris Sedes eius solicitudines sibi vehementiores accumulat, & ipsius auctoritas potior, meditationes ei multiplicat ampliores, &c.

§.3. Sane quidam Scripturæ Sacræ intelligentiam se habere fatentes, sed diuertentes à tramite recti sensus, cogitauerunt nuper malitiam, & contra innocentes & rectos, iniquitatem maximam sunt loquuti exar-

ferunt

ferunt in ſordibus ſuis, & lingua eorum maliloqua, dolum & nequitiam concinnauit. Surgentes aduerſus Fratres detraxerunt, & contra dilectos Matris Eccleſiæ filios, ſcandalum poſuere.

Prodiere inquam; & in praua commenta ex nimio calore animi prorupuerũt, libellum quemdam valdè perniciosum, & deteſtabilem, temere componentes, libellum quidem, non rationabilem, ſed reprobabilem; non veritatis, ſed mendacij, non eruditionis ſed derogationis, non monentem, ſed mordentem, non inſtruentem veraciter; ſed fallentem. Quem nos ad Sedem delatum Apoſtolicam, Ven. Fratri Epiſcopo Tuſculano, & dilectis filijs Noſtris Innocentio tit. S. Laurentij in Lucina, & Honorio tit. Sanctæ Sabinæ Presbyteris, & Innoc. S. Nicolai in Carcere Tulliano, Diacono Cardinalibus examinandum commiſimus, vt plenè ipſum inſpicerent, & vniuerſa contenta in eo perfectè attenderent, & diſcuterent diligenter.

Quo ſtudioſe perlecto, & maturè, & diſtrictè examinato, nobiſque de hoc plenaria facta relatione ab eis, quod in ipſo quædam peruerſa, & reproba, contra poteſtatem & auctoritatem Romani Pontificis, & Coepiſcoporum ſuorum, & nonnulla contra illos, qui propter Deum ſub arctiſſima paupertate mendicant, mundum cum ſuis opibus, voluntaria inopia ſuperantes, alia verò contra eos qui ſalutem animarum zelantes

arden-

ardenter, & Sacris Studijs procurantes, multos in Ecclesia Dei operantur spirituales profectus, & magnum faciunt ibi fructum; quædam autem contra salutem pauperum seu mendicantium Religiosorum statum sicut sunt dilecti Fratres Prædicatores, & Minores, qui vigore spiritus, sæculo cum suis diuitijs derelicto, ad solam Cœlestem Patriam, tota intentione suspirant; nec non, & alia plura inconuenientia, digna vtique conconfutatione, ac confusione perpetua, manifestè comperimus contineri. Quodque etiam idem libellus magni scandali Seminarium, & multæ turbationis materia existebat, & inducebat etiam dispendium animarum, cum retraheret à deuotione solita, & consueta eleemosinarum largitione, ac à conuersione, & religionis ingressu fideles.

Nos libellum eumdem, qui sic incipit. *Ecce videntes clamabunt foris*, quique secundum ipsius titulum, *tractatus breuis, de periculis nouissimorum temporum*, nuncupatur, tanquam iniquum, scelestum, & execrabilem, & institutiones, ac documenta in eo tradita, vtpotè praua, falsa, & nefaria, de fratrum nostrorum consilio, auctoritate Apostolica duximus reprobanda, & in perpetuũ condemnanda districtè præcipientes, vt quicumque libellum ipsum habuerit, eum infra octo dies, ex quo huiusmodi nostram reprobationem, & condemnationem sciuerit, prorsus in toto, & in qualibet sui parte,

com-

comburere, & omninò abolere procuret. Et in illos qui huiusmodi nostri præcepti fuerint contemptores, excommunicationis sententiam promulgamus, in virtute obedientiæ prohibendo, ne quisquam prædictum libellum ore Apostolico iam damnatum approbare, vel quomodolibet defensare præsumat. Et si quis præsumpserit tanquam contumax, inobediens, & rebellis Romanæ Ecclesiæ ab omnibus fidelibus habeatur. Et nos nihilominus, aliàs contra eum taliter procedemus, quod pœna condigna temerarium feriet, & alij eâ perterriti, à similibus frænabuntur. Nulli ergo omninò hominum, &c. Si quis autem hoc attentare, &c.

Datum Anagniæ tertio nonas Octobris Pontificatus Nostri Anno secundo.

ADNOTATIONES

In præfatam Alexandri Quarti Constitutionem.

Ex Angelico Doctore S. Thoma, ex Diuo Bonauentura Doctore Seraphico, ex Oderico Raynaldo, & Luca Vuadingo.

§. I.

Recensetur ex Angelico Doctore, quænam fuerat occasio damnandi prædictum

ctum librum, quot, & quales fuerint eius errores: Sanctus Thomas Religiosorum ordinum causam, contra pestiferũ illud opus, suscepturus, antequam eius errores enumeret, & confutet, opusculum illud egregium, quod est 19. inter alia opuscula, de hac re compositum, orditur ab illis Verbis psalmi 82. ecce inimici tui sonuerunt, & qui oderunt te, extulerunt caput, super populum tuum, malignauerunt consilium; cogitauerunt, aduersus Sanctos tuos, &c. mala ista pergit narrare, quæ vbique in dicto libro intentabantur: Duo autem, inquit contra Sanctos cogitant: primo vt ipsos annihilent: secundo vt si hoc non possint, saltem eorum famam destruant apud homines; vt in eis fructificare non possint, Sanctorum expulsionem de Mundo tyranni antiquitus per violentiam procurare conati sunt: sed nunc hoc idem peruersi homines astutis consilijs attentant, quantum ad religiosos specialiter, qui Verbo, & exemplo fructificare possunt.

Mox enumerat media, quibus hoc consilium exequi nitebantur authores vtique memorati libri, primo enim, inquit Angelicus Doctor ibidem, eis pro posse studium, & doctrinam auferre conantur: vt sic aduersariis veritatis resistere non possint, nec in scriptura consolationem spiritus inuenire. Et hæc est astutia philistinorum, Reg. 13. cauerunt enim Philistijm ne forte facerent

He-

Hebræi gladium, aut lanceam, quod glosa exponit, de prohibitione studij litterarum, & hoc primitùs Iulianus Apostata inchoauit, vt Ecclesiastica testatur historia,& en tibi primum consilium malum illius libri.

Secundo, inquit Sanctus, à consortio studentium eos pro posse excludendo, vt per hoc Sanctorum vita veniat in contemptum Apocalipsis 13. ne quis posset emere; aut vendere,nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ, eorum scilicet malitiæ consentiendo, en alterum consilium malum.

Tertio eorum prædicationum, & confessionum audientiam, quibus in populo fructificant impedire nituntur, ex Thess. 2. prohibentes nos gentibus loqui, vt saluæ fiant: en tertium consilium.

Quarto ad laborem manuum eos compellunt, vt sic grauati, & sui status tædium habeant, & in prædictis impediantur, secundum consilium pharaonis dicentis exodi 1. ecce populus filiorum Israel multus, & fortior est nobis: venite, sapienter opprimamus eum, & infra, præposuit itaque eis Magistros operum; glossa, Pharao significat Zabulum, qui luti, & lateris, imponit grauissimum iugum, seruitutem scilicèt lutulenti, & terreni operis, en quartum consilium.

Quinto vituperant eorum perfectionem, & blasphemant, scilicet paupertatem mendicantium. Secundæ Petri 2. multi sequentur

tur eorum luxurias, per quas via veritatis blasphemabitur; idest bona opera, secundum glossam, & hoc est quintum consilium malum dicti libri.

Sexto eis victum, & eleemosynas, vnde viuebant, subtrahunt, vt possunt, in tertia Canonica Ioannis, & quasi ista non sufficiat ei, glossa, quia hospitalitatem dissuadet; neq; ipse fratres suscipit, glossa indigentes, & eos qui suscipiunt, prohibet, glossa, ne impendant curam humanitatis; & hoc est sextum inquitatis consilium.

Septimo, inquit idem Angelicus Doctor, famam Sanctorum prædicti ministri diaboli conantur corrumpere, in tantum, vt non solum per se apud præsentes, Sanctos Dei infament Verbo, sed etiam litteras per Vniuersum Orbem dirigant, Hieremiæ 23. à prophetis Ierusalem egressa est pollutio super omnem terram, glossa, Hieronymus; hoc vtimur Testimonio aduersus eos, qui Epistolas plenas mendacio, & fraudulentia, & periurio in Orbem dirigunt, & aures audientium polluunt, non enim sufficit eis iniquitatem propriam, deuorare, vel proximos ledere, sed quod semel oderunt, per totum Orbem conantur infamare, & vbiq; blasphemias seminare; habes septimum consilium malum, ob quod & alia superius relata, tanti mali artifices, Sedis Apostolicæ censura merito in supradicta Bulla, coercendi erant.

§. 2. Plur es

§. 2.

Pluresalios errores contentos fuisse in præfato libro apparet ex contrarijs impugnationibus Angelici Doctoris in illo Opusculo 19.

Dictos errores egregie, & fuse refutat S. Thomas, idque per viginti ferè capita, & impugnando aduersarios, ostendit. Primo Religiosis licere docere. Secundo eos posse esse de collegio secularium Magistrorum. Tertio posse prædicare, & confessiones sæcularium audire, idque ex multiplici capite. Quarto Religiosos, nisi forte in casu, ad manibus laborandum, non tantum non teneri, sed etiam manibus non laborantes in statu salutis esse. Quinto Religiosis licere omnia sua relinquere, & nihil sibi retinere, nec in proprio, nec in communi. Sexto eis licere viuere de eleemosynis, & præcipuè de mendicatis. Præterea eosdem Religiosos defendit, quoad habitum quem gestant, quoad studia litterarum, quoad opera charitatis, quoad itinerationes, seù discursus pro salute animarum, quoad ordinatam prædicationem; item quoad litteras tutelares pro suis religionibus petitas, quoad suam defensionem, & resistentiam contra detractores, & insultantes, quodque licite instare possint vt tales puniantur; quòd licite possint esse grati hominibus, imò & prin-

cipis

cipibus in ordine ad gloriam Dei, & proximorum salutem: tandem refutat cęteras calumnias religiosis impositas, ostendendo, quod non sint Pseudo prophetæ, non lupi, non præcursores, vel Nuntij Antichristi, &c.

Ex quibus omnibus habes, quanta farrago dicteriorum, et contumeliarum contra statum Religiosorum, ac perfectionem Euangelicam fuerit in damnato illo libro.

§. 3.

Sancti Bonauenturæ tomo 7. tract. de paupertate Christi contra eundem librum sententia.

Seraphicus Doctor præfato tractatu, contra dictũ opus, agit, in quo tres præcipuos errores, notat, scilicèt Monachos ex eleemosynis in otio viuentes, non posse saluari; adeoque omnes tales adstringi, ad laborem manuum; non posse homines saluari in ordine mendicantium; paupertatem quidem habitualem esse licitam, quæ est promptitudo animi, ad relinquendum omnia pro Christo, paupertatem autem actualem, minimè esse licitam; contra hoc inquam opus probat paupertatem quoad se, & quidem actualem esse licitam, ab exemplo Christi pauperis in natiuitate, in vita, in morte; ab authoritate SS. Hieronymi, Ambrosij, Ioannis Chrisostomi, Augustini, Gregorii Magni, Prosperi, Bernardi, ac denique multis rationibus. Ar-

Articulo 2. probat mendicitatem esse licitam ex Euangelio Math.5. 10. 18. 19. Marci 6. & 11. Lucæ 9. 10. 16. ex secundæ ad Corinth 5. item ab exemplo Apostolorum, ac authoritate SS. Hieronymi, & Gregorij, nec non rationibus, inter quas adducit hanc, si enim, inquit, illicitum est per eleemosynarum acceptionem, pauperibus Christi accipere amplitudinem, & multitudinem possessionum, & reddituum, quis enim ita absurdus est, qui dicat licere alicui accipere talentum auri, & non frustum panis?

Quod si verum est, cum Vniuersarum Ecclesiarum possessiones, tam in religiosis proprietatem habentibus, quam in Clericis Sæcularibus, habeantur per acceptionem eleemosynarum, voluntarie, & gratis datarum, videtur per hoc subuerti status vniuersarum ecclesiarum, si eleemosynas accipere, vel de eleemosynis viuere, seu in parua quantitate, seu in magna illicitum iudicetur, nisi forte quis dicat, quod licitum est accipere, sed non est licitum petere. Deinde diluit rationes oppositas; & quæst. 2. probat pauperes validos regulares, non esse adstrictos vniuersaliter, ad opera manualia; idque ostendit exemplo Magdalenæ, commendatæ à Christo Lucæ 10.

§ 4.

Quinam fuerint authores horum errorum, et turbarum? ex p. Luca Vadingo, & Oderico Raynaldo.

Ptholomæus Lucensis hist. Ecclesiast. lib. 22. cap. 11. de Alexandro Quarto, apud Odericum Raynaldum tomo 14. ad annũ 1256. sic narrat, hic fuit multum in beneficijs gratiosus, pauperibus prædicatoribus, & minoribus benigne fauit, & ipsos priuilegijs muniuit; Vnde quendam libellum conflatum, quod pauperes religiosi viuendo de eleemosynis, etiam prædicando Verbum Dei, non sunt in statu salutis, in publico consistorio comburi fecit, tanquam dogma pestiferum, & author ipsius, cum suis sequacibus damnatus, qui dictus fuit Gulielmus à Sancto Amore. Hactenus ille, & Cantipratensis tam apud eundem Raynaldum, quam apud P. Lucam Vadingum tomo secundo annalium Minorum, dicit, eundem librum non solum in curia, sed etiam Parisijs corã Vniuersitatis multitudine copiosa combustum esse, & dictos magistros à Papa fuisse dignitatibus, & beneficijs priuatos, donec iurarent reuocare Parisijs, & in alijs locis, & ciuitatibus Verecundæ prædicationis eorum, quidquid con-

contra dictorum fratrum Ordines implicite, vel explicite euomuissent.

Quinam autē fuerint illi sequaces Gulielmi, & quomodo gradibus suis priuati, refertur in ipsa Papæ Alexandri Bulla, ad Episcopum Parisien. apud P. Vadingum citato tomo; ne tantæ rebellionis vitium, inquit Pontifex, contra Romanam Ecclesiam, ausu detestabili attentatum, quod diu apud nos nimia dissimulatione præterijt; posset alijs esse occasio scismatis, & contumaciæ perniciosæ fomentum, Gulielmum de Sancto Amore, & Odonem de Duaco, Doctores Theologiæ, ac Magistros Nicolaum Decanum de Barro super Albam, & Christianum Canonicum Beluacensem, tanquam principales huiusmodi rebellionis, & contumaciæ incentores, omnibus dignitatibus, & beneficijs suis Ecclesiasticis, ac officio Magistrali, dictumque Gulielmum Capellania nostra priuamus. Hæc Alexander Papa. Simul ac pestilens ille liber in lucem prodijt, Sanctus Ludouicus, vt habet P. Vadingus citato tomo, præfatorum ordinum defensor eximius, misit eum per duos Clericos suos Anagniam ad Alexandrum Papam, qui causæ disputationem ibidem instituit, ad quam vt refert Vadingus, præter alios religiosos, citatis etiam, & comparentibus reis, vocauit Angelicum Doctorem S. Thomam Aquinatem, & Sanctum Bonauentu-

ram, Ordinis Minorum tunc generalem Ministrum, & Bertrandum de Baiona minoritam, qui adeo erudite, & prompte Gulielmi obiecta diluebat, vt hærens præ admiratione Gulielmus dixerit, vel tu es Angelus e cœlo, vel dæmon ex inferno, vel Strabo de Baiona, cui ille respondit. Nec Angelus è cœlo, nec dæmon, de inferno, sed Strabo sum de Baiona. Quia sic vocabatur in sæculo, edita vero à Pontifice censura libri, scripsit ad S. Ludouicum, vt procederet contra dictos Magistros, ac susciperet, tutelam vtriusque ordinis.

Quid autem impulerit illos authores ad has turbas excitandas contrà Fratres prædicatores, & minores, refert Cantipratensis apud Raynaldum tomo, & anno superius relato, vnus ex illis Magistris inquit, Cantipratensis, Christianus Beluacensis, amarissimo corde contritus, recognouit nihil se & complices suos contra dictos ordines habuisse, nisi quod illis æquari in scientia non valerent, & adhoc vt eos paruipenderent auditores; & tandem, in signum pœnitentiæ corpus meum, inquit, apud vos Fratres prædicatores tradendum sepulturæ relinquo. Hæc de proscriptione libri Gulielmi à Sancto Amore, & quamuis eum reprobauerit, vt dictum est, Alexander Quartus, vtpote, sicut idem Pontifex scribit ad Doctores Pa-
risien-

risienses, ponentem os in cœlum contra Sedis Apostolicæ potestatem, contra statum, & profectum Religiosorum virorum reprobe dogmatizantem, & quantum in ipso fuit, disseminantem in Ecclesia, vnitatis nefandi scismatis pestem; idem tamen liber, à paucis annis dicitur iterum in lucem editus, non vtique sine contemptu præfatę censuræ.

***



CAPVT VIII.

Damnantur errores Petri Ioannis, & Begguardorum, ac Beguinarum.

Definitiones Sacri, & Oecumenici Concilij Vienensis sub Clemente Papa V.

De Summa Trinitate, & Fide Catholica.

Fatetur Concilium, vnicum Dei filium in essentia Dei æternaliter subsistentem verum corpus humanum assumpsisse de Virgine, & in eo passum, et iam mortuum lancea perforatum approbans in hoc Ordinem, quem tradidit Euangelista Io: H. D.



Idei Catholicæ fundamento, præter quod (teste Apostolico) nemo potest aliud ponere firmiter inhærentes, cum Sancta Matre Ecclesia confitemur Vnigenitum Dei filium in his omnibus, in quibus Deus Pater existit vna cum Patre æternaliter subsistentem, partes nostræ naturæ simul vnitas (ex quibus ipse in se verus Deus existens fieret verus homo) humanum

num, videlicet corpus passibile, & animam intellectiuam, seù rationabilem ipsum corpus verè per se, & essentialiter informantem assumpsisse ex tempore in virginali thalamo ad vnitatem suæ hypostasis, & personæ.

Et quod in hac assumpta natura ipsum Dei verbum pro omnium operãda salute nõ solum affigi cruci, & in ea mori voluit, sed etiam emisso iam spiritu perforari lancea sustinuit latus suum, vt exinde profluentibus vndis aquæ, & sanguinis formaretur vnica, & immaculata, ac Virgo Sancta Mater Ecclesia Coniux Christi. Sicut de latere primi hominis soporati Eua sibi in coniugiũ est formata, vt sic certæ figuræ primæ, & veteris Adæ (qui secundum Apostolum est forma futuri) in nostro nouissimo Adam, idest Christo, veritas responderet. Hęc est in quam veritas illius prægrandis aquilæ vallata testimonio, quam Propheta vidit; Ezechiel animalibus cæteris Euangelicis transuolantem, Beati Ioannis, videlicet Apostoli, & Euangelistæ, qui Sacramenti huius rem gestam narrans, & ordinem, in Euangelio suo dixit. Ad Iesum autem cum venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed vnus militam lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis, & aqua, & qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium eius, & ille scit, quia vera dicit, vt vos credatis.

Nos igitur ad tàm prçclarum teſtimoniũ, ac Sanctorum Patrum, & Doctorum communem ſententiam Apoſtolicæ conſiderationis (ad quam dumtaxat hçc declarare pertinet) aciem conuertentes, ſacro approbante Concilio Declaramus, prædictum Apoſtolum, & Euangeliſtam Ioannem, rectum in præmiſſis factę rei ordinem tenuiſſe narrando, quod Chriſto iam mortuo, vnus militum lancea latus eius aperuit.

Reprobat, & hæreticam iudicat doctrinam, quæ habet, quod ſubſtantia animæ rationalis, ſeù intellectiua verè, & per ſe humani corporis non ſit forma.

POrró doctrinam omnem, ſeù poſitionem temerè aſſerentem, aut vertentem in dubium, quod ſubſtantia animæ rationalis, ſeù intellectiuę verè, ac per ſe humani corporis non ſit forma velut erroneam, ac veritati, Catholicę inimicam fidei prædicto ſacro approbante Concilio reprobamus Diffinientes, vt cunctis nota ſit fidei ſincerę veritas, ac præcludatur vniuerſis erroribus aditus ne ſubintrent, quę quiſquis deinceps aſſerere defendere, ſeù tenere pertinaciter præſumpſerit, quod anima rationalis, ſeù intellectiua non ſit forma corporis humani per ſe, & eſſentialiter tamquam hæreticus ſit cenſendus.

As-

Asserens confitendum vnum Deum, & vnam fidem approbat opinionem, quæ habet per illud conferri etiam paruulis quoad habitum informantem gratiam, & virtutes.

AD hoc baptisma vnicũ baptizatos omnes in Christo regenerãs est (sicut vnus Deus, ac fides vnica) ab omnibus fidelitèr confitendum; quod celebratum in aqua in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti credimus esse tam Adultis, quàm paruulis communitèr perfectum remedium ad salutem.

Verum quia quantum ad effectum baptismi in paruulis, reperiũtur Doctores quidam Theologi opiniones contrarias habuisse: Quibusdam ex ipsis dicentibus, per virtutem baptismi paruulis quidem culpã remitti, sed gratiam non conferri. Alijs è contra asserentibus, quod & culpa eidem in baptismo remittitur, ac virtutes, ac informans gratia infundantur quoad habitum, & si non pro illo tempore quoad vsum; Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Christi (quæ per baptisma applicatur pariter omnibus baptizatis) opinionem secundam, quæ dicit tàm paruulis, quàm Adultis conferri in baptismo informantem gratiam, & virtutes, tamquam probabiliorẽ, & dictis Sanctorum, ac Doctorum Moder-
no-

norum Theologiæ magis consonam, & concordem sacro approbante Concilio duximus eligendam.

Idem Clemens Papa V. in eodem Concilio.

Damnat Sectam Beguardorum, & Beguinarum Alemanniæ, & octo ipsius errores excitans Diœcesanorum, & Inquisitorum officium contra illos.

AD nostrum (qui desideranter in votis gerimus, vt fides Catholica nostris prosperetur temporibus, & prauitas hæretica de finibus fidelium extirpetur) non sine displicentia grandi peruenit auditum, quod Secta quædam abominabilis quorundam hominum malignorum, qui Beguardi, & quorundam infidelium mulierum, quę Beguinæ vulgariter appellatur in Regno Alemanniæ (procurante Satore malorum operum) damnabiliter insurrexit tenens, & asserens doctrina sua sacrilega, & peruersa inferius designatos errores. Primò videlicet, quod homo in vita præsenti tantum, & talem perfectionis gradum potest acquirere, quod reddetur penitus impeccabilis, & amplius in gratia proficere non valebit, nam (vt dicunt) si quis semper posset proficere, posset

poſſet aliquis perfectior Chriſto inueniri. Secundò, quod ieiunare non oportet hominem, nec orare poſtquam gradum huiuſmodi perfectionis fuerit aſſecutus, quia tunc ſenſualitas eſt ita perfectè ſpiritui, & rationi ſubiecta, quod homo poteſt liberè corpori concedere quidquid placet. Tertiò, quod illi, qui ſunt in prædicto gradu perfectionis, & ſpiritu libertatis non ſunt humanæ ſubiecti obedientiæ nec ad aliqua præcepta Eccleſię obligantur, quia (vt aſſerunt) ſpiritus Domini libertas. Quarto, quod homo poteſt ita finalem beatitudinem ſecundum omnem gradum perfectionis in præſenti aſſequi, ſicut eam in vita obtinebit beata. Quintò, quod quælibet intellectualis natura in ſe ipſa naturaliter eſt beata, quodque anima non indiget lumine gloriæ, ipſam eleuante ad Deum videndum, & eo beatè fruendum. Sextò, quod ſe in actibus exercere virtutum, eſt hominis imperfecti, & perfecta anima licentiat à ſe virtutes. Septimò, quod mulieris oſculum, cum ad hoc natura non inclinat, eſt mortale peccatum. Actus autem carnalis, cúm ad hoc natura inclinat, peccatum non eſt, maximè cum tentatur exercens. Octauò, quod in eleuatione corporis Ieſu Chriſti non debent aſſurgere, nèc eidem reuerentiam exhibere, aſſerentes, quod eſſet imperfectionis eiſdem ſi à puritate, & altitu-

tudine suæ contemplationis tantùm descenderent, quod circa ministerium, seù Sacramentum Eucharistię, aut circa passionem humanitatis Christi aliqua cogitarent: Nonnulla etiam alia sub simulata quadam sanctitatis specie dicunt, faciunt, & committunt, quæ oculos diuinæ maiestatis offendnnt, & graue in se continent periculum animarum.

Cum autem ex debito commissi Nobis officij huiusmodi sectam detestabilem, & præmissos ipsius execrandos errores (ne propagentur vlterius, & per eos corda fidelium damnabiliter corrumpantur) extirpare ab Ecclesia Catholica necessarium habeamus: Nos Sacro apptobante Concilio, Sectam ipsam cum præmissis erroribus damnamus, & reprobamus, omninò inhibentes Districtius ne quis ipsos de cætero teneat, approbet vel defendat: Eos autèm, qui secùs egerint, animaduersione Canonica decreuimus puniendos.

Porrò Diœcesani, & illarum partium Inquisitores hæreticę prauitatis, in quibus Beguardi, & Beguinæ huiusmodi commorantur, suum officium circa eos diligenter exerceant inquirentes de vita, & conuersatione ipsorum qualitèrue sentiant de articulis fidei, & Ecclesiæ Sacramentis. In illos verò, quos culpabiles repererint (nisi abiuratis spontè prædictis erroribus pœnituerint, & satisfactionem exhibuerint,

rint competentem) debitam exerceant vltionem.

§. *Vnicus.*

Notæ ex Seuerino Binio in supradictas definitiones Concilii Viennensis.

PRima definitio fuit edita contra Petrum Ioannis, is Petrus, vt ex Sandero refert Binius fuit discipulus Ioachimi Abbatis, negabat verò animam rationalem, qua rationalis est, formam esse humani corporis: Gratias, & virtutes in Baptismo infundi, Christumque adhuc viuentem lancea vulneratum fuisse asserebat, & quod Euangelista iam alitèr narrat, perturbatè narratum videri. Hi errores in præfata Constitutione damnati fuere, eosque refutat Guido Carmelita in summa de hęresibus Petri Ioannis.

Secunda Constitutio edita est contra Beguardos, & Beguinas, qui insurrexerunt in Alemannia, prout in eadem Constitutione habetur, in qua etiam enumerantur illorum errores, quos refutat doctè Aluarus Pelagius de Planctu Ecclesiæ tit. 2. cap. 52.



CA-

CAPVT IX.

Prohibentur dogmata Ioannis de Poliaco.

Bulla Ioannis XXII. *contra tres errores Magistri Ioannis à Poliaco Doctoris Parisien.*



Rom. 1. 2. Prou. cap. 24.

As electionis Doctor eximius, & egregius Prædicator, cuius prædicatio mundum docuit vniuersum, præsumptuosam illorum audaciam refrænare sollicitus, qui prudentiæ propriæ innitẽtes, in errores proprios prolabantur, non plus sapere, quam oportet sapere, sed ad sobrietatem sapere, salubri doctrina suggessit, & iuxta sapientis eloquium: Quisque suæ prudentiæ modum ponat. Sanè dudum cum dilectum filium Magistrum Ioannem de Poliaco Sacræ Theologiæ Doctorem, certis ex causis, de fratrum nostrorum consilio ad nostram præsentiam vocauissemus; fide digna relatio ad nostrum perduxit auditum, quod ipse in quibusdam articulis tangentibus pœnitentiæ Sacramentum, non sobrie, sed perperam sapiebat, infra scriptos articulos, periculosos, continentes errores, docens pu-

publicè in suis prædicationibus, & in scholis. Primò siquidem astruens, quod confessi fratribus habentibus, licentiam generalem audiendi confessiones, tenentur eadem peccata, quæ confessi fuerant, iterum confiteri proprio Sacerdoti. Secundò quod stante omnis vtriusque sexus edicto, in Concilio generali; Romanus Pontifex non potest facere, quod Parochiani non teneantur omnia peccata sua semel in anno proprio Sacerdoti confiteri, quem dicit esse Parochialem Curatum: imo nec Deus posset hoc facere: quia (vt dicebat) implicat contradictionem: Tertiò, quod Papa non potest dare potestatem generalem audiendi confessionem, immo, nec Deus, quin confessus habenti licentiam, teneatur eadem confiteri proprio Sacerdoti, quem dicit esse (vt præmittitur) proprium Curatum.

Nos igitur scire volentes, si suggesta nobis veritatem haberent, articulorum præmissorum copiam, eidem Magistro Ioanni fecimus assignari, & ad sui defensionem plenam audientiam sibi præbuimus, tàm in nostra, & fratrum nostrorum præsentia, in consistorio, quam alias coram aliquibus ex ipsis fratribus, per nos ad huiusmodi officium deputatis. Verum licet præfatus Magister, dictos articulos, & contenta in ipsis defendere niteretur, asserebat tamen se paratum credere, & tenere in præmissis, & alijs quæ tenenda, & credenda esse Sedes Apostolica definiret.

niret. Nos igitur attendentes, quod prædictorum articolorum assertio, prædicatio, & doctrina redundare poterant in multarum perniciem animarum, ipsos per Prælatos, & Magistros in Theologia, examinari fecimus diligenter, Nos ipsi etiam cum dd. fratribus nostris, collationem solertem, & examinationem habuimus super his, Per quas quidem collationem, & examinationem super his habitas, comperimus, præmissos articulos doctrinam non sanam, sed periculosam, multum & veritati contrariam continere. Quos etiam articulos omnes, & singulos, idem Magister Ioannes, veris sibi rationibus, opinioni dudum suæ habitę, contrarijs demonstratis, in consistorio reuocauit, asserens se credere, eos non veros, sed ipsorum contrarium, verum esse, & dicens se nescire rationibus sibi factis, in cōtrarium respondere. Ideoque, ne per assertionem, prædicationem, & doctrinam huiusmodi, in errorem (quod absit) animę simplicium prolabantur, omnes articulos, & quemlibet eorum, tanquam falsos, & erroneos, & à doctrina sacra deuios, auctotitate Apostolica condemnamus, & reprobamus, de fratrum nostrorum consilio prædictorum, doctrinam contrariam, veram, & contrarium esse Catholicum asserentes, quod illi, qui prædictis fratribus confitentur, non magis teneantur eadem peccata confiteri iterum, quam si ea alias cnnfessi fuissent eorum proprio Sacer-

cerdoti, iuxta Concilium generale. Optantesque veritatis vias notas esse fidelibus cunctis, & prædictis erroribus præcludere aditum, ne subintrent errores, fel. recordationis Alexandri IV. & Clementis IV. Romanorum Pontificum Prędecessorum nostrorum, vestigijs innitendo, vniuersis & singulis districtius inhibemus, ne quisquam præmissos articulos per nos (vt præmittitur) damnatos, & reprobatos, & contenta in eis, vel aliquo ipsorũ, vtpotè à catholicis mentibus respuenda, tenere audeat, seu defensare quomodolibet, vel docere. Quocirca vniuersitati vestræ per Apostolica scripta pręcipiendo mandamus, quatenus vniuersis, & singulis vestrûm, in Ciuitatibus, & Dioecesibus vestris, conuocato Clero, & Populo communiter omnia præmissa, & singula per nos, seu alias solemniter publicetis. Nos etiã eidem Magistro Ioanni mandamus, quod in scholis, & sermone Parisijs prędictos articulos, & contenta in eis, tanquam veritati contraria, propriæ vocis oraculo, asseueratione constanti, publicè debeat reuocare, quod se facturum dictus Magister Ioannes efficaciter repromisit. Datum Auenion. 8. kal. Augusti, Pontificatus nostri anno quinto.



ADNOTATIONES.

In supradictam Bullam, ex Oderico Raynaldo tom.15.ad annum 1321.et ad annum 20.

§. 1.

De occasione huius Bullæ.

REpressus à Romana Ecclesia, inquit Raynaldus eodem tempore error, quem Ioãnes è Poliaco Parisiensis Doctor, Ecclesiasticæ disciplinę sanciendæ specie, re autem vera religiosorum ordinum, & pietatis odio ventilabat; docebat enim in scholis, spargebatque in populum, exomolegeses apud religiosos Sacerdotes factas, non ritè expiare conscientias, nisi eadem crimina à fidelibus, Parochis iterum aperirentur; atque ad confirmandam suam sententiam, in prauum sensum, statutum Lateranensis Concilij, omnis vtriusque sexus detorquebat.

Adducta est ea controuersia ad Sedis Apostolicæ tribunal, iudiciaria dirimenda sententia, atque diutius à theologis, collatis hinc inde argumentis contrarijs, agitata; de qua insignem, tum editum commẽtarium è Vaticanis monumentis in lucem prodimus. & recenset ibidem dictum commentarium, pulchrum quidem, & solidum, relatis argumentis Ioannis è Poliaco, ac responsionibus contrarijs. Qui-

Quibus memoratis num. 33. ex his, inquit, colligitur, non leuem hunc Ioannis Poliaci errorem fuisse, sed grauissimum, atque ideo fortiter oppugnatum à Doctoribus Theologicę scientię laude florentissimis; scripsitque inter alios, de iurisdictione Ecclesiastica elegantem commentarium, Heruæus Supremus Ordinis Prædicatorum Magister, egitque non tam religiosorum, quam Ecclesiæ vniuersalis causam, aduersus temerarium nouatorem, & eius sequaces, quos his verbis perstringit. His diebus, inquit Heruęus, quidam ignorantes potestatem Sedis Apostolicæ, vel contemnentes eandem, & quærentes suam potestatem statuere, & indebitè ampliare, nolunt recognoscere suam potestatem esse à Sede Apostolica, nec eam volunt super prædictam Sedis Apostolicæ recognoscere stabilitam, dicentes potestatem curatorum esse immediatè Deo, sicut potestatem Sedis Apostolicę, & potestatem curatorum non esse à Papa, sed immediatè à Christo. Hactenus Heruæus; refert verò Raynaldus quomodo etiam Petrus Paludanus Patriarcha Hierosolymitanus composuerit opus de eadem iurisdictione Ecclesiastica, contra errores dicti Ioannis Poliaci, qui Hierarchiæ Ecclesiasticæ fundamenta concutiebat. Et subiungit, quod conuulsis præfatis erroribus, discussaque diligentissimè controuersia à Doctoribus, & Præsulibus, demum lata est iudiciaria sententia, damnatique errores illi, vt habetur in Bulla.

§. 2.

Iidem errores rursum repullulantes, iterum repressi.

Obsecutus Pontifici Ioannes è Poliaco, inquit Raynaldus ad supradictum annum, tum in scholis, tum in sacris concionibus publicè errorem eiurauit. Non defecere tamen, qui postea nixi alijs argumentis contenderint semel vertente anno, sacram exhomologesim apud Parrochum repetendam, neque apud religiosos peractam sufficere: quorum princeps fuit Armacanus, dictus Riccardus, primas Hiberniç, qui religiosis apud Innocentium Sextum de abrogandis priuilegijs, ob varios abusus litem intendit. Præcipuum eius argumentum id fuit, contemni ea ratione clerum, nec labe peccati lethalis, eum contemptum immunem: & quia vnum peccatum sine alio non dimittitur, adeo exhomologesim apud Parrochum, repetendam, quantauis religiosi criminum nexus soluendi, potestate à Pontifice accepta valerent. Sed negatum est contemni propterea pastores, vel peccatum ex eo suscipi: refelluntur pluribus ab Henrico Bictvvelt argumenta Armacani, qui cum non tam zelo tuēdæ disciplinæ Ecclesiasticæ Duci, quam suffusus liuore in religiosos, ob prona in eos

po-

populorum studia videretur, votis excidit; non quod Pontificia curia, auro corrupta à religiosis fuerit, vt Deblatterat Vvalsingamus, sed quia falsa erat Armacani doctrina, & eius causa ęquitate fulta non erat: Hęc de erroribus Poliaci.

Cæterum Regulares approbatos, esse idoneos Sacramenti pœnitentiæ ministros quouis anni tempore declarat Concilium Lateranense quintum sess. 11. constit.4. dum intra. & Rodriguez tomo primo Bullarum pro hac ipsa veritate, citat Bullas Gregorii Noni, Innocentij Quarti, Clementis Quarti, Martini Quarti, Bonifacii Octaui, & hanc Ioannis XXII. patet item extrauag. Benedicti Vndecimi inter cunctas; & Clement. de Sepulturis. cap. dudum. id ipsum declarant Paulus Tertius, & Clemens Octauus, ac tandem praxis Romanæ Ecclesiæ hic Romę, quæ est mater, & Magistra omnium Ecclesiarum.

Quod item possint in suis Ecclesijs liberè prædicare petita, scilicet Episcopi benedictione, declarat B. Pius Quintus constit.41. §.3. & inter articulos quos ibi exponit Pontifex, sunt articuli de parrochiali missa, de parrochiali concione, & de fratrum mendicantium potestate ad prædicandum in proprijs Ecclesijs: id ipsum de missa parrochiali declararunt Clemens Octauus, & Alexander Septimus, necnon ante eos, Leo Decimus in constit. quę incipit intelleximus quosdã &c.

Datum Romę die 13. Nouembris 1517. nec Gregorius Decimus tertius pręfatam B. Pii constitutionem reuocauit, sed reduxit ad antiquos iuris cõmunis terminos. Pro quibus verò requiritur Episcopi facultas pro regularibus ad prędicandum, declarauit Vrbanus Octauus in suo diplomate, ad Cardinalem Balthasarem de Sandoual, apud Barbosam in collectaneis ad titulum, Episcopus prædicator, & quod ab antiquissimis temporibus resederit apud presbyteros religiosos prędicandi, & catechizandi facultas, clarè deducitur ex epist. 61. Sancti Hieronymi ad Pammachium contra Ioannem Hierosolymitanum Episcopum, cap. 16. & ex decreto Bonifacij Quarti, circiter annum 618. quod extat apud S. Petrum Damiani lib. 5. epist. 19. constat eosdem esse idoneos ministros, quibus istud onus imponatur, quod etiam declarat Vrbanus Secundus, in Neumasensi Concilio, & hæc pauca sufficiunt.



CA

CAPVT X.

Damnatio errorum Ioannis Vviclefi, & Ioannis Hutz.

§. 1.

Censura Concilij Generalis Constantien. sess. 3. contra errores Ioannis Vvicleff tom. 3. conc. par. 2.



SAcrosancta Constantiensis Synodus, generale Concilium faciens, & Ecclesiam Catholicam repræsentans, ad extirpationem præsentis schismatis, errorumque, & hæresum sub eius vmbra pullulantium, eliminationem, ac reformationem Ecclesiæ, in S. Spiritu legitimè congregata, ad perpetuam rei memoriam.

Fidem Catholicam, sine qua (vt ait Apostolus) impossibile est placere Deo, à falsis eiusdem fidei cultoribus, immò peruersis impugnatoribus, & superbam curiositatem intendentibus plus sapere, quam oportet, mundi gloriam cupientibus, opugnatam sæpiùs, & contra illos per fideles Ecclesiæ Milites spirituales, opposito scuto fidei, defensatam fuisse, Sanctorum Patrum Scripturis, atque gestis instruimur. Hæc quippe bel-

bellorum genera in bellis carnalibus Israelitici Populi, aduersus gentes idolatras præsignata fuerunt, in his itaque spiritualibus bellis, Sancta Ecclesia Catholica, in fidei veritate superni luminis radijs illustrata, Domino prouidente, & Sanctorum patrocinio opem ferente, semper immaculata permanens. Erroris tenebris velut hostibus profugatis, gloriosissimè triumphauit. Nostris verò temporibus, vetus ille & inuidus hostis, noua certamina (vt probati temporis huius manifesti fiant) suscitauit, quorum Dux, & Princeps extitit quondam Ioannes Vvicleff Pseudochristianus, qui dum viueret, aduersus Religionem Christianam, & Fidem Catholicam pertinacitèr asseruit, & dogmatizauit plures articulos, quorum quadraginta quinque huic paginæ duximus inserendos, qui loquuntur, &c. *Vide eos infra in Bulla Martini V.*

Idemque Ioannes Vvicleff libros Dialogum, & Trialogum per ipsum nominatos, & plures alios tractatus volumina, & opuscula composuit, in quibus præscriptos, & plures alios damnabiles inseruit, & dogmatizauit articulos, quos libros ad sui peruersi dogmatis publicationem, publicè legendos exposuit, ex quibus insupèr multa scandala, damna animarum, & pericula in diuersis Regionibus, & præsertim Angliæ, & Bohemiæ Regnis, sequuta sunt. Aduersus quos articulos, atque libros, in Dei veritate

exur-

exurgentes Magistri, & Doctores Vniuersitatum, & Studiorum Oxoniensis, & Pragensis, articulos prædictos scholasticè diù reprobarunt: Reuerendissimi insupèr Patres Archiepiscopi, Episcopi pro tempore Cantuariensis, & Eboracensis Sedis Apostolicæ Legati in Anglia, & Pragen. in Bohemiæ, Regnis, condemnarunt. Libros etiam eiusdem Ioannis Vvicleff comburendos fore, dictus Archiepiscopus Pragensis Sedis Apostolicæ Commissarius in hac parte, sententialiter iudicauit, & eorum qui superessent, prohibuit lectionem &c.

Hæc autem Sancta Synodus, præfatos articulos quadraginta quinque, examinari fecit, & sæpiùs recenseri, per plures Reuerendissimos Patres Ecclesiæ Romanæ Cardinales, Episcopos, Abbates, Magistros in Theologia, Doctores Iuris vtriusque, & plures notabiles in multitudine copiosa: quibus articulis examinatis, fuit repertum (prout in veritate est) aliquos, & plures ex ipsis fuisse, & esse notoriè hæreticos, & à Sanctis Patribus dudum reprobatos, alios non catholicos, sed erroneos, alios scandalosos, & blasphemos, quosdam piarum aurium offensiuos, nonnullos eorum temerarios, & seditiosos. Compertum est etiam libros eius, plures alios articulos continere similium qualitatum, doctrinamque in Dei Ecclesiam vesanam, & fidei, ac moribus inimicam inducere. Propterea in nomine Domini nostri

ſtri Ieſu Chriſti, hæc Sancta Synodus ſententias prædictorum Archiepiſcoporum, ac Concilij Romani ratificans, & approbans, prædictos articulos, & eorum quemlibet, libros eiuſdem, Dialogum, & Trialogum per eumdem Ioannem Vvicleff nominatos, & alios eiuſdem Authoris libros, volumina, tractatus, & opuſcula, quocumque nomine cenſeantur, quos hic haberi vult pro ſufficientèr expreſſis, hoc perpetuo decreto reprobat, & condemnat, & eorumdem librorum, & cuiuslibet ipſorum lectionem, doctrinam, expoſitionem, & allegationem, niſi ad eorum reprobationem, omnibus Chriſti fidelibus prohibendo, inhibemus omnibus, & ſingulis catholicis, ſub anathematis interminatione, ne de cætero dictos articulos, vel ipſorum aliquem audeant publicè prædicare, dogmatizare, tenere, vel quomodolibet allegare, niſi ad eorum reprobationem, vt dictum eſt, iubens illos libros, & tractatus, volumina, & opuſcula prælibata, publicè concremari, provt decretum fuerat in Synodo Romana, ſicut ſuperiùs eſt expreſſum. Super quibus & exequendis, & debitè obſeruandis, mandat prædicta Sancta Synodus, Ordinarijs locorum vigilantèr intendere, provt ad quemlibet pertinet, ſecundùm iura, & canonicas ſanctiones &c.

Digitized by Google

§. 2.

Censura Concilij Generalis Constantien. contra errores Ioannis Hutz sess. 15.

SAcrosancta Generalis Constantiensis Synodus Ecclesiam Catholicam repræsentans, in Spiritu Sancto legitimè congregata, ad perpetuam rei memoriam &c. Nihilominùs tamen quidam Ioannes Hutz in hoc Sacro Concilio hic personalitèr constitutus, non Christi, sed potiùs Ioannis Vvicleff hæresiarchæ discipulus, post, & contra damnationem, & decretum huiusmodi ausu temerario contrauenicns, errores eius plures, & hæreses, tàm ab Ecclesia Dei, quàm etiam à certis olim in Christo Patribus, Dominis Archiepiscopis, & Episcopis diuersorum Regnorum, & Magistris in Theologia plurium Studiorum condemnatos, dogmatizauit, asseruit, & prædicauit, præsertim damnationi scholasticæ ipsorum articulorum Ioannis Vvicleff factæ pluries in Vniuersitate Pragensi, cum suis complicibus, in scholis, & in prædicationibus publicè resistendo, ac ipsum Ioannem Vvicleff, virum catholicum, & doctorem euangelicum, in fauorem eius doctrinæ, coram multitudine Cleri, & Populi, declarauit, certos etiam articulos infrascriptos, & plures alios, & meritò damnabiles, tanquam catholicos esse asseruit, & publicauit, qui in libris ipsius Ioannis Hutz, & opusculis notoriè contineninen-

nentur. Quapropter habita prius plenaria informatione de præmissis, & diligenti deliberatione Reuerendissimorum in Christo Patrum Dominorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, & cæterorum Prælatorum, & Doctorum sacræ paginæ, & iuris vtriusque in multitudine copiosa, hæc sacrosancta Constantiensis Synodus declarat, & diffinit articulos infrascriptos, qui habita collatione per plures Magistros in sacra pagina, reperti fuerunt contineri in eius libris, & opusculis manu propria scriptis, & quos etiam idem Ioannes Hutz in publica audientia, coram Patribus, & Prælatis huius Sacri Concilij confessus fuit, in suis libris & opusculis contineri, non esse catholicos, nec tanquam tales esse dogmatizandos, sed ex eis plures esse erroneos, alios scandalosos, aliquos piarum aurium offensiuos, pluresque eorum esse temerarios, & seditiosos, & nonnullos eorumdem esse notoriè hæreticos, & iamdudum in sacris Patribus, & generalibus Concilijs reprobatos, & damnatos, ipsosque prædicare, dogmatizare, aut quomodolibet approbare districtè inhibendo &c.

§. 3.

Sequitur Constitutio Martini V. in qua approbat censuras huius Concilij.

Dam-

Damnatio articulorum Ioannis Vvicleff, & Ioannis Hutz in Concilio Constantiensi sess. 8. & 15. & confirmata per Bullam Martini V. sess. 24. & vltima eiusdem Concilij, vt sequitur. Ex tom. 3. Concil. par. 2. à pag. 944.

Errores Ioannis Vvicleff de Anglia, & Ioannis Hutz de Boemia damnati in hoc Sacro generali Constantiensi Concilio.

MARTINVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.

Venerabilibus fratribus, Archiepiscopis, & Episcopis, ac Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, vbilibet constitutis, ad quos litteræ præsentes peruenerint, salutem, & Apostolicam benedictionem.



INter cunctas pastoralis curæ sollicitudines, quibus præmimur incessantèr illa potissimè fortiùs nos angit, vt hæreticis de finibus Christicolarum expulsis, suisque falsis doctrinis, & erroribus peruersis penitùs, quantùm nobis ex altò con-

conceditur, extirpatis, orthodoxa, & catholica fides integra, & illibata permaneat, ac Populus Christianus in eiusdem fidei sinceritate, quolibet obscurationis semoto velamine, immobilis, & inuiolatus persistat. Sanè dudum, plusquam omnibus retroactis temporibus, in nonnullis regionibus, & dominijs, præsertim in Regno Bohemiæ, & Marchionatu Morauiæ, ac locis, & districtibus illis vicinis, aduersus fidei catholicæ dogmata, & Sanctæ Matris Ecclesiæ traditiones, non solùm contra vnum, quinimò contra plura fidei catholicæ dogmata, insurrexerunt quidam hæresiarchæ circumcellionés, schismatici, & seditiosi, luciferina superbia, & rabie lupina eucti, dæmoniorum fraudibus illusi, de vanitate in idipsum (licet forent de diuersis mundi partibus oriundi) conuenientes, & caudas colligatas habentes, damnatæ videlicet memoriæ Ioannes Vviclcff de Anglia, Ioannes Hutz de Bohemia, & Hieronymus de Praga, qui vtinam alios secum ad infidelitatis interitum non traxissent. Nam vbi huiusmodi pestilentes personæ, peruersa dogmata pertinacitèr seminabant, in suæ doctrinæ pestiferæ primordio Prælati, & alij iudiciariæ potestatis regimina exercentes, tanquam canes muti non va-
2.Cor.10 lentes latrare, nec vlciscentes cum Apostolo in promptu omnem inobedientiam, hæresiarchas ipsos pestiferos, & dolosos, eorum lupinam rabiem truculentam statim (vt adstri-

ſtricti fuerant) canonicè coercere, eoſque de domo Domini corporalitèr eijcere non curarunt, ſed ſacrilegam, falſam, & perniciosam eorum doctrinam, per longas moras negligentèr conualere permiſerunt; Populorum multitudo, illorum opinionibus falſis decepta, pro veris accepit, quæ diù mendacitèr, & perniciosè, ac damnabilitèr ſeminauerunt, eiſque credendo, à recta fide cecidit turba multa, & errore deuio inuoluitur, proh dolor, Paganorum, adeò quòd per diuerſa illarum, eiſdem conuicinantium partium climata, oues Chriſti catholicas, hæreſiarchæ ipſi ſucceſſiuè infecerunt, & in ſtercore mendaciorum fecerunt putreſcere. Quapropter generalis Conſtantienſis Synodus, tàm fidelium, & fidei orthodoxæ plagam, & ruinam videns, exclamare compulſa eſt, cum Auguſtino: Quid faciet Eccleſiæ medicina ſalutem omnium materna charitate conquirens, tanquam inter phreneticos, & lethargicos æſtuans? nunquid contemnere, nunquid deſiſtere vel debet, vel poteſt? certè non, ſecundùm eumdem, immò vtriſque ſit neceſſè eſt moleſta, quæ neutris eſt inimica. Nam & moleſtus eſt medicus furenti phrænetico, & pater indiſciplinato filio, ille ligando, iſte cædendo, ſed ambo diligendo. Si autem negligant, & eos perire permittant, (inquit Auguſtinus) iſta manſuetudo, potiùs falſa credulitas eſt. Proinde Synodus præfata ad omnipotentis Dei

Epiſt. 176 ad Fauſt.

Epiſt. 50. ad Bonif.

glo-

, glo

gloriam, ipsiusque catholicæ fidei, ac Christianæ Religionis conseruationem, augmentum, & animarum salutem, & præseruationem, eosdem Ioannem Vuicleff, & Ioannem Hutz, & Hieronymum, qui inter cætera de Sacro Eucharistiæ Sacramento, & alijs Sacramentis Ecclesiæ, & articulis fidei, alitèr, quàm Sancta Romana Ecclesia credit, & tenet, & prædicat, & docet, quamplurima temerè, & damnabilitèr credere, ac tenere, prædicare, atque docere pertinacitèr attentabant, velut hæreticos, & pertinaces, ac obstinatos jam à communione fidelium separatos, de domo Dei corporalitèr eiecit, & spiritualitèr eiectos declarauit, & alia nõnulla circa præmissa vtilia, & salubria statuit, & decreuit, per quæ alij, qui causantibus hæresiarchis, eorumque falsis doctrinis huiusmodi spiritualitèr de domo Dei eiecerunt, per vias canonicas reducerentur ad semitas veritatis.

Tenores verò eorumdem articulorum, seù capitulorum, de quibus supra fit mentio per ordinem in hæc verba.

Et primò sequitur tenor articulorum Ioannis Vvicleff.

1 Substantia panis materialis, & similitèr substantia vini materialis remanent in Sacramento Altaris.

2 Ac-

2 Accidentia panis, non manent sine subiecto in eodem Sacramento.
3 Christus non est in eodem Sacramento identicè, & realitèr in propria præsentia corporali.
4 Si Episcopus, vel Sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat.
5 Non est fundatum in Euangelio, quod Christus Missam ordinauerit.
6 Deus debet obedire Diabolo.
7 Si homo fuerit debitè contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua, & inutilis.
8 Si Papa sit præscitus, & malus, & per consequens membrum Diaboli, non habet potestatem super fideles sibi ab aliquo datã, nisi fortè à Cæsare.
9 Post Vrbanum Sextum, non est aliquis recipiendus in Papam, sed viuendum est more Græcorum sub legibus proprijs.
10 Contra Scripturam Sacram est, quod viri Ecclesiastici habeant possessiones.
11 Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, nisi priùs sciat eum excommunicatum à Deo, & qui sic excommunicat, fit ex hoc hæreticus, vel excommunicatus.
12 Prælatus excommunicans Clericum, qui appellauit ad Regem, vel ad Concilium Regni, eo ipso traditor est Regis, & Regni.
13 Illi qui dimittunt prædicare, siue au-

dire verbum Dei, propter excommunicationem hominum, sunt excommunicati, & in Dei iudicio traditores Christi habebuntur.

14 Licet alicui Diacono, vel Presbytero prædicare verbum Dei, absque auctoritate Sedis Apostolicæ, siue Episcopi catholici.

15 Nullus est Dominus Ciuilis, nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.

16 Domini temporales possunt ad arbitrium suum, auferre bona temporalia ab Ecclesia possessionatis, habitualitèr delinquentibus, idest, ex habitu, non solùm actu delinquentibus.

17 Populares possunt ad suum arbitriũ, Dominos delinquentes corrigere.

18 Decimæ sunt puræ eleemosynæ, & possunt Parochiani propter peccata suorum Prælatorum, ad libitum suum, eas auferre.

19 Speciales orationes applicatæ vni personæ, per Prælatos, vel Religiosos, non plus possunt eidem, quàm generales, cæteris paribus.

20 Conferens eleemosynam Fratribus, est excommunicatus eo facto.

21 Si aliquis ingreditur Religionem priuatam qualemcumque, tàm possessionatorum, quàm Mendicantium, redditur ineptior, & inhabilior ad obseruationem mandatorum Dei.

22 San-

22 Sancti Instituentes Religiones priuatas, sic instituendo peccauerunt.

23 Religiosi viuentes in Religionibus priuatis, non sunt de Religione Christiana.

24 Fratres tenentur per labores manuū victum acquirere, & non per mendicitatem.

Prima pars est scandalosa, & præsumptuosè asserta, pro quanto sic generalitèr, & indistinctè loquitur, & secunda erronea, pro quanto asserit mendicitatem Fratribus non licere.

25 Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro alijs, eis in temporalibus subuenientibus.

26 Oratio præsciti, nulli valet.

27 Omnia de necessitate absoluta eueniunt.

28 Confirmatio iuuenum, Clericorum ordinatio, locorum consecratio, reseruantur Papæ, & Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis, & honoris.

29 Vniuersitates, Studia, Collegia, Graduationes, & Magisteria in eisdem, sunt vana gentilitate introducta, & tantùm prosunt Ecclesiæ, sicut Diabolus.

30 Excommunicatio Papæ, vel cuiuscumque Prælati non est timenda, quia est censura Antichristi.

31 Peccant fundantes claustra, & ingredientes, sunt viri diabolici.

32 Ditare Clerum, est contra regulam Christi.

33 Siluester Papa, & Constantinus Imperator errauerunt Ecclesiam dotando.

34 Omnes de Ordine Mendicantiū, sunt hæretici: & dantes eis eleemosynam, sunt excommunicati.

35 Ingredientes Religionem, aut aliquē Ordinem, eo ipso inhabiles sunt ad obseruanda diuina præcepta, & per consequens ad perueniendum ad Regnum Cœlorum, nisi apostatauerint ab eisdem.

36 Papa cum omnibus Clericis suis possessionem habentibus, sunt hæretici, eo quod possessiones habent: & consentientes eis, omnes videlicet Domini sæculares, & cæteri laici.

37 Ecclesia Romana est synagoga Satanæ, nec Papa est proximus, & immediatus Vicarius Christi, & Apostolorum.

38 Decretales Epistolæ sunt apocryphæ, & seducunt à fide Christi, & Clerici sunt stulti, qui student eas.

39 Imperator, & Domini Sæculares sunt seducti à Diabolo, vt Ecclesiam dotarent bonis temporalibus.

40 Electio Papæ à Cardinalibus, à Diabolo est introducta.

41 Non est de necessitate salutis, credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias.

Error est, si per Romanam Ecclesiam intelligat vniuersalem Ecclesiam, aut Concilium generale, aut pro quanto negaret prima-

matum Summi Pontificis super alias Ecclesias particulares.

42 Fatuum est credere indulgentijs Papæ, & Episcoporum.

43 Iuramenta illicita sunt, quæ fiunt ad corroborandum humanos contractus, & commercia ciuilia.

44 Augustinus, Benedictus, & Bernardus damnati sunt, nisi pœnituerint de hoc, quod habuerunt possessiones, & instituerunt, & intrauerunt Religiones: & sic à Papa vsque ad vltimum Religiosum, omnes sunt hæretici.

45 Omnes Religiones indifferentèr introductæ sunt à Diabolo.

Tenor autem articulorum Ioannis Hutz sequitur, & talis est.

1 Vnica est Sancta Vniuersalis Ecclesia, quę est prædestinatorum vniuersitas, & infra sequitur. Vniuersalis Sancta Ecclesia tantùm est vna, sicut tantùm vnus est numerus omnium prædestinatorum.

2 Paulus nunquam fuit membrum Diaboli, licèt fecit quosdam actus actibus Ecclesiæ malignantium consimiles.

3 Præsciti non sunt partes Ecclesiæ, cum nulla pars eius finalitèr excidet ab ea, eo quod prædestinationis charitas, quæ ipsam ligat, non excidet.

4 Duæ naturæ, diuinitas, & humanitas, sunt vnus Christus.

5 Præscitus & si aliquando est in gratia, secundùm præsentem iustitiam, tamen nunquam est pars Sanctæ Ecclesiæ, & prædestinatus semper manet membrum Ecclesiæ, licet aliquando excidat à gratia aduentitia, sed non à gratia prædestinationis.

6 Sumendo Ecclesiam pro conuocatione prædestinatorum, siue fuerint in gratia, siue non secundùm præsentem iustitiam, isto modo Ecclesia est articulus fidei.

7 Petrus non est, nec fuit caput Ecclesiæ Sanctæ Catholicæ.

8 Sacerdotes quomodolibet criminosè viuentes, Sacerdotij polluunt potestatem: & sic, vt filij Infideles, sentiunt infideliter de septem Sacramentis Ecclesiæ, de clauibus, officijs, censuris, moribus, cæremonijs, & sacris rebus Ecclesiæ, veneratione reliquiarũ, indulgentijs, & ordinibus.

9 Papalis dignitas à Cæsare inoleuit, & Papæ perfectio, & institutio à Cæsaris potentia emanauit.

10 Nullus sine reuelatione assereret rationabiliter de se, vel alio, quod esset caput Ecclesiæ particularis, nec Romanus Pontifex est caput Romanæ Ecclesiæ particularis.

11 Non oportet credere, quod iste quicumque est Romanus Pontifex, sit caput cuiuscumque particularis Ecclesiæ Sanctæ, nisi Deus eum prædestinauerit.

12 Nemo gerit vicem Christi, vel Petri, nisi

nisi sequatur eum in moribus, cum nulla alia sequela sit pertinentior, nec aliter recipiat à Deo procuratoriam potestatem: quia ad illud officium Vicariatus, requiritur & morũ conformitas, & instituentis auctoritas.

13 Papa non est verus, & manifestus successor Apostolorum Principis Petri, si viuit moribus contrarijs Petro: & si quærit auaritiam, tunc est Vicarius Iudæ Scarioth, & pari euidentia Cardinales non sunt veri, & manifesti successores Collegij aliorum Apostolorum Christi, nisi vixerint more Apostolorum, seruantes mandata, & consilia Domini nostri Iesu Christi.

14 Doctores, ponentes, quod aliquis per censuram Ecclesiasticam emendandus, si corrigi noluerit, sæculari iudicio est tradendus, pro certo sequuntur in hoc Pontifices, Scribas, & Phariseos, qui Christum non volentem eis obedire in omnibus, dicentes, nobis non licet interficere quemquam, ipsum sæculari iudicio tradiderunt, & quod tales sint homicidæ grauiores quàm Pilatus.

15 Obedientia Ecclesiastica est obedientia secundùm adinuentionem Sacerdotum Ecclesiæ, præter expressam auctoritatem Scripturæ.

16 **Diuisio immediata humanorũ operum est, quod sunt vel virtuosa, vel vitiosa, quia si homo est vitiosus, & agit quidquam, tunc agit vitiosè: & si est virtuosus, & agit quidquam, tunc agit virtuosè, quia si-**

cut vitium quod crimen dicitur, seù mortale peccatum, inficit vniuersaliter actus hominis vitiosi, sic virtus viuificat omnes actus hominis virtuosi.

17 Sacerdotes Christi viuentes secundū legem eius, & habentes Scripturæ notitiam, & effectum ad ædificandum Populum, debent prædicare, non obstante prætensa excommunicatione, & infrà: Quod si Papa, vel aliquis Prælatus mandet Sacerdoti sic disposito, non prædicare, non debet subditus obedire.

18 Quilibet Prædicantis officium de mandato accipit, qui ad Sacerdotium accedit: & illud mandatum debet exequi, prætensa excommunicatione non obstante.

19 Per censuras Ecclesiasticas excommunicationis, suspensionis, & interdicti, ad sui exaltationem Clerus Populum laicalem sibi suppeditat, auaritiam multiplicat, malitiam protegit, & viam præparat Antichristo. Signum autem euidens est, quod ab Antichristo tales procedunt censuræ, quas vocant in suis processibus fulminationes, quibus Clerus principalissimè procedit contra illos, qui denudant nequitiam Antichristi, qui Clerum pro se maximè vsurpabit.

20 Si Papa est malus, & præsertim si est præscitus, tunc vt Iudas Apostolus est diabolus, fur & filius perditionis, & non est Caput Sanctæ, Militantis Ecclesiæ cum nec sit membrorum eius.

21 Gra-

21 Gratia prædestinationis est vinculũ, quo corpus Ecclesiæ, & quodlibet eius mẽbrum coniungitur Christo capiti insolubiliter.

22 Papa, vel Prælatus malus, & præscitus, est æquiuocè Pastor, & verus fur, & latro.

23 Papa non debet dici Sanctissimus, etiam secundùm officium, quia aliàs Rex deberet etiam dici Sanctissimus secundùm officium, & tortores, & præcones dicerentur Sancti, immò etiam Diabolus deberet dici Sanctus, cum sit officiarius Dei.

24 Si Papa viuat Christo contrariè, etiã si ascenderet perritam, & legitimam electionem secundùm constitutionem humanam vulgatam, tamen aliunde ascenderet, quàm per Christum, dato etiam quòd intraret per electionem à Deo principaliter factam: nam Iudas Scarioth ritè, & legitimè est electus a Deo Christo Iesu, ad Episcopatum, & tamen ascendit aliunde in ouile ouium.

25 Condemnatio quadraginta quinque articulorum Ioannis Vvicleff per Doctores facta, est irrationabilis, & iniqua, & malefacta, & ficta est causa per eos allegata, videlicet ex eo, quod nullus eorum sit catholicus, sed quilibet eorum aut est hæreticus, aut erroneus, aut scandalosus.

26 Non eo quod Electores, vel maior pars eorum consenserit viua voce, secundùm ritus hominum in personam aliquam, eo

eo ipſo illa perſona legitimè electa, vel eo ipſo eſt verus, & manifeſtus ſucceſſor, vel Vicarius Petri Apoſtoli, vel alterius Apoſtoli in officio Eccleſiaſtico: vnde ſiue Electores benè, ſiue malè elegerint, operibus electi debemus credere, nam eo ipſo, quo quis copioſiùs operatur meritoriè ad profectum Eccleſiæ, habet à Deo ad hoc copioſiùs poteſtatem.

27 Non eſt ſcintilla apparentiæ, quod oporteat eſſe vnum caput in ſpiritualibus regens Eccleſiam, quod ſemper cum ipſa Eccleſia militante conuerſetur, & conſeruetur.

28 Chriſtus ſine talibus monſtruoſis Capitibus, per ſuos veraces diſcipulos ſparſos per orbem terrarum, meliùs ſuam Eccleſiam regularet.

29 Apoſtoli, & fideles Sacerdotes Domini, ſtrenuè in neceſſarijs ad ſalutem regularunt Eccleſiam, antequam Papæ officium foret introductum: ſic faceret deficiente, per ſummè poſſibile Papa vſq; ad diẽ iudicij.

30 Nullus eſt Dominus Ciuilis, nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali.

Super præmiſſis autem Articulis quilibet de eis ſuſpectus, ſeù in eorum aſſertione deprehenſus, iuxta modum interrogetur infraſcriptum.

In primis, vtrum cognouerit Ioannem Vvicleff de Anglia, Ioannem Huſz de Bohemia, Hieronymum de Praga, ſeu aliquem

eorum, vnde habuerint eorum notitiam, & vtrum cum eis, vel eorum aliquo, dum viuerent, conuersationem, vel amicitiam habuerint. Item, vtrùm sciens ipsos, seu aliquẽ ipsorum excommunicatos, scienter participauerit cum illis, reputans, & dicens talem participationem non esse peccatum. Item, vtrùm post mortem eorum pro eisdem, seu aliquo eorum orauerit, & publicè vel occultè opera pietatis exercuerit, asserens eos forè Beatos, & saluos. Item, vtrum eos, vel aliquem eorum Sanctos reputauerit, & dixerit, & eis venerationes velut Sanctis exhibuerit. Item, vtrùm credat, teneat & asserat, quòd quodlibet Concilium generale, & etiam Constantiense vniuersalem Ecclesiam repræsentet. Item, vtrùm credat, quòd illud, quod Sacrum Concilium Constantiense, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, approbauit & approbat in fauorem fidei, & salutem animarum, quod hoc est ab vniuersis Christi fidelibus approbandum, & tenendum. Et quod condemnauit, & condemnat esse fidei, & bonis moribus contrarium, hoc ab eisdem esse tenendum pro condemnato, credendum & asserendum. Item, vtrùm credat, quòd condemnationes Ioannis Vvicleff, Ioannis Husz, & Hieronymi de Pragà, factæ de personis eorum, libris & documentis per Sacrum Constantiense Concilium fuerint ritè, & iustè factę, & à quolibet Catholico pro talibus tenendæ, & firmiter asserendæ:

Item,

Item, vtrùm credat, teneat, asserat, Ioannem Vvicleff de Anglia, Ioannem Husz de Bohemia, & Hieronymum de Pragâ, fuisse hæreticos, & pro hæreticis nominandos, ac deputandos, & libros & doctrinas eorum fuisse, & esse peruersos, propter quos, & quas, & eorum pertinacias, per Sacrum Concilium Constantiense pro hæreticis sunt condemnati. Item, vtrùm habeat in sua potestate aliquos tractatus, opuscula, epistolas, vel quæcunque alia scripta, in quocunque idiomate per Ioannem Vvicleff, Ioannem Husz, & Hieronymum hæreticos, seu eorum pseudodiscipulos & sequaces, editos vel translatas, edita vel translata, quòd illos vel illa ordinario loci, vel eius Commissario, & Inquisitori sub iuramento præsentet. Quòd si apud se scripta huiusmodi se habere non cognouerit, sed alibi, quòd iuret illa apud suum Ordinarium, vel alios supradictos infra certum terminum sibi præfigendum deponere. Item, vtrùm sciat aliquem, vel aliquos habentes præfatorum tractatus, opuscula, epistolas, vel quæcunque alia scripta, in quocunque idiomate composita siue translata, quod illum, vel illos detegat, vel manifestet pro purificatione fidei, siuè executione iustitiæ.

Item specialiter litteratus interrogetur, vtrum credat sententiam Sacri Constantien. Concilij super quadraginta quinque Ioannis Vvicleff, & Ioannis Husz triginta articulis superius descriptis, latam, forè veram, & ca-

tholicam, scilicet, quod supradicti quadraginta quinque articuli Ioannis Vvicleff, & Ioannis Husz triginta, non sunt catholici, sed quidam ex eis sunt notoriè, hæretici, quidam errorei, alij temerarij, & seditiosi, alij piarum aurium offensiui.

Item, vtrum credat, & asserat, quod in nullo casu sit licitum iurare.

Item, vtrum credat, quod ad mandatum Iudicis iuramentum de veritate dicenda, vel quodlibet aliud ad causam opportunum, etiam pro purificatione infamiæ faciendum, sit licitum.

Item, vtrum credat, quod periurium scienter commissum, ex quacumque causa, vel occasione pro conseruatione vitę corporalis propriæ vel alterius, etiam in fauorem fidei sit mortale peccatum.

Item, vtrum credat, quod deliberato animo contemnens ritum Ecclesię cæremonias exorcismi, & cathechismi, aquæ baptismatis consecratę peccet mortaliter.

Item, vtrum credat, quod post consecrationem Sacerdotis in Sacramento Altaris, sub velamento panis, & vini, non sit panis materialis, & vinum materiale, sed per idem omnia Christus, qui fuit in Cruce passus, & sedet ad dexteram Patris.

Itē, vtrum credat & asserat, quod facta cōsecratione per Sacerdotē, sub sola specie panis tantū, & præter speciē vini, sit vera caro

Chri-

Christi,& sanguis,& anima & deitas,& totus Christus, ac idem corpus absolutè, & sub vna qualibet illarum specierum singulariter.

Item, vtrum credat, quod consuetudo communicandi personas laicales sub specie panis tantum, ab Ecclesia vniuersali obseruata, & per Sacrum Concilium Constantiæ approbata, sit seruanda, sic quod non liceat eam reprobare, aut sine Ecclesiæ auctoritate prohibito immutare. Et quod dicentes pertinaciter oppositum præmissorum, tanquam hæretici, vel sapientes hæresim, sint arcendi, & puniendi.

Item vtrum credat, quod Christianus contemnens susceptionem Sacramentorum Cōfirmationis, vel extremæ Vnctionis, aut solemnizationis matrimonij, peccet mortaliter,

Item, vtrum credat, quod Christianus, vltra contritionem cordis, habita copia Sacerdotis idonei, soli Sacerdoti de necessitate salutis confiteri teneatur, & non laico, seu laicis, quantumcumque bonis, & deuotis.

Item, vtrum credat, quod Sacerdos in casibus sibi præmissis possit Peccatorem confessum, & contritum à Peccatis absoluere,& sibi pœnitentiam iniungere.

Item, vtrum credat, quod malus Sacerdos, cum debita materia, & forma, & cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, verè conficiat, verè absoluat, verè baptizet, & ve-

& verè conferat alia Sacramenta.

Item, vtrum credat, quod Beatus Petrus fuerit Vicarius Christi, habens potestatem ligandi, & absoluendi super terram.

Item, vtrum credat, quod Papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit, eius nomine proprio expresso, sit Successor Beati Petri, habens supremam potestatem in Ecclesia Dei.

Item, vtrum credat, auctoritatem iurisdictionis Papæ, Archiepiscopi, in soluendo, & ligando esse maiorem auctoritare simplicis Sacerdotis, & si curam animarum habeat.

Item, vtrum credat, quod Papa omnibus Christianis verè contritis, & confessis, ex causa pia, & iusta possit concedere indulgentias in remissionem peccatorum, maximè pia loca visitantibus, & ipsis manus suas porrigentibus adiutrices &c.

Vtrum credat, quod ex tali concessione visitantes Ecclesias ipsas; & manus adiutrices eis porrigentes, huiusmodi indulgentias consequi possunt.

Item, vtrum credat, quod singuli Episcopi suis subditis, secundum limitationem Sacrorum Canonum, huiusmodi indulgengentias concedere possint.

Item, vtrum credat & asserat, licitum esse, Sanctorum reliquias, & imagines à Christi fidelibus venerari.

Item, vtrum credat, quod Papa, vel alius

Præ-

Prælatus proprijs nominibus Papæ pro tempore expressis, vel ipsorum Vicarij, possint suum subditum Ecclesiasticum, siuè sæcularem, propter inobedientiam, siue contumaciam excommunicare, ita quod talis pro excommunicato sit habendus.

Item, vtrum credat, quod inobedientia siue contumacia excommunicatorum crescente, Prælati vel eorum Vicarij in spiritualibus habeant potestatem aggrauandi, & regrauandi, interdictum ponendi, & brachiũ sæculare inuocandi, & quod illis censuris per inferiores sit obediendum.

Item, vtrum credat, quod Papa, vel alij Prælati, & eorum Vicarij in spiritualibus habeant potestatẽ, Sacerdotes & laicos inobedientes, & contumaces excommunicandi, ab officio, beneficio, ingressu Ecclesiæ, & administratione Ecclesiasticorum Sacramẽtorum suspendendi.

Item, vtrum credat, quod liceat personis Ecclesiasticis, absque peccato, huius mundi habere possessiones, & bona temporalia.

Item vtrum credat, quod Laicis, ipsa ab eis auferre potestate non liceat, imò quod sic auferentes, tollentes, & inuadentes bona, ipsa Ecclesiastica, sint tanquam sacrilegi puniendi, etiam si malè viuerent personæ Ecclesiasticæ, bona huiusmodi possidentes.

Item, vtrum credat, quod huiusmodi ablatio, & inuasio cuicumque Sacerdoti, etiam male viuenti, temere vel violenter fa-

cta, vel illata inducant sacrilegium.

Item, vtrum credat, quod licet Laicis vtriusque sexus viris, scilicet & mulieribus, liberè prædicare verbum Dei.

Item, vtrum credat, quod singulis Sacerdotibus, liberè liceat prædicare verbum Dei, vbicumque, quandocumque, & quibuscumque placuerit, etiamsi non sint missi.

Item, vtrum credat, quod omnia peccata mortalia, & specialiter manifesta, sint publicè corrigenda, & extirpanda &c. volumus insuper, ac statuimus &c. Datum Constantiæ 8. kal. Martij Pontificatus nostri anno primo.

ADNOTATIONES.

Ex Binio in prædictam censuram, & Constitutionem.

§. I.

Ansa, & occasio huius Bullę.

CVm Ioannes Vvclef Anglus, inquit Binius, tomo 3. par. 2. homo sceleratus, multas hæreses disseminasset, easque varijs libris complexus esset, tantam perniciem, huiusmodi scriptis, etiam mortuus attulit, vt multi venenum illud mortiferum libenter haurirent, ac tanquam furiosi, amentia-

que precipites, periculum summum, quod in illis latebat, quamuis admoniti vitare nollent. Quin etiam, quod mirum est, cum in Bohemiam iam libri peruenissent, tanta fuit illorum hominum stultitia, vt cum primo, iussu Pontificis Maximi, Archiepiscopi tum Cantuariensis, tum Eboracensis in Anglia, & Pragensis in Bohemia, eos libros damnassent, ac deinde Pragensis eos palam comburi iussisset: postea verò Patres in Synodo Romana, eos libros iterum condemnassent, multi tamē plus Ioanni Hutz, qui illorum librorum errorumque patrocinium susceperat, quam reliquis omnibus crederent. Nec solùm Domi retinerent, verum etiam auro, & argento codices pestilentissimos exornarent.

Erat Sacerdos Ioannes Hutz, & simulatione sanctitatis, multos sibi in Bohemia deuinxerat, in suis autem concionibus, repugnante Archiepiscopo, summis laudibus Vviclefum efferebat, populumque ipsum, tum ad eius doctrinam amplectendam hortabatur, tum verò homo nefarius, alias hæreses impudentèr addebat, quas apud Patres in Synodo generali se defensurum esse iactabat.

Cùm igitur tantum malum in dies latiùs serperet, magnamque Bohemiæ partem occuparet, vix iam sine concilio huic detestabili pesti remedium poterat adhiberi. Hinc in hac Constantiensi Synodo à Ioan. XXIII. in-

indicta, errores Ioannis Vvicleff, & Ioannis Hutz examinati sunt, eorumque causa doctissimis hominibus commissa, qui cum libros legissent, multa in ijs repererunt à Religione Christiana aliena; in primis apud Ioannem Vviclefum quadraginta quinque, apud Ioannem Hutz triginta articulos perniciosos, qui etsi non omnes in eodem impietatis gradu versarentur, aliiq; essent alijs deteriores, tamen in omnibus pestiferum latebat virus, omnesque salutari Ecclesiæ doctrinæ, aut omninò, aut aliqua ex parte aduersabantur.

Quare Synodus articulis in medium prolatis, non solùm libros damnauit, eorumq; lectionem Christianis omnibus interdixit, verùm etiam Authorem ipsum inter hæreticos retulit, atque anathemate perculit, & eius ossa iussit, quoquomodo agnosci possent, è sepulchro eruta cremari.

Porro cum ipse Ioannes Hutz Constantiam venisset, vt Vviclefi hæreses,& suas corам Patribus tueretur, ac principio assentiri Synodo se velle dixisset, deinde tamen ad ingenium rediens, suos & Vviclefi errores defendere,quam veram Ecclesiæ doctrinam sequi maluit, in illisque persistens, à Patribus de hæresi damnatus, viuus exustus est.

Accessit ad idem Cōcilium Hieronymus de Praga, eiusdem Ioannis socius, & eorundem errorum propugnator acerrimus; huic fidem publicam postulanti Concilium

 dedit,

dit, salua tamen iustitia, sunt verba Synodi, quibus eidem, nisi ab hæresi discederet, apertè supplicium minabatur. Ergo Constantiam profectus, primo quidem palam hæreses detestatus, fidemque catholicam confessus est, sed paulo post ad pristinos errores reuersus, eandem Vviclefi, & Ioannis Hutz doctrinam, à Synodo iam damnatam, vna tamen excepta defendere ausus, statim suæ temeritatis, & audaciæ pœnas iustas, debitasque persoluit. Hæc acta sunt in hæreticorum causa.

§. 2.

Quid egerit in hac causa Martinus Quintus?

Ex Bullæ ipsius tenore patet, quid fecerit Martinus Papa, primo præmittit grauem querelam de progressu horum errorum, qui in Synodo condemnati fuerunt, deque incuria Prælatorum, qui tanquam canes, inquit, non valentes latrare, opportunum, & tempestiuum remedium adhibere non tam cito, nec tam maturè satagerunt: mox præfatos recenset errores, deinde ad euellendam ex animis mali radicem, præscribit plures interrogationes faciendas, ex illis hominibus, qui hoc malo, vel infecti, vel de eo suspecti erant. Tandem præcipit omnibus Ecclesiæ Prælatis, & Inquisitoribus, vt contra huius doctrinæ damnatę fautores, & professores rigide procedant, & ipse contra eosdem

dem pœnas canonum statuit, atque per hoc, censuram Constantiensis Synodi in memoratos errores latam confirmat: cuius quidem Concilij acta, licet in reliquis omnibus non sint rata, cum varij contigerint casus in eius celebratione, durante tristi illo scismate, quoad damnationem tamen prędictorum hæreticorum, illius gesta approbata esse constat ex Martini Pontificis Bulla superius relata.



CAPVT XI.

Decisiones Concilij Florentini, & Eugenij Quarti.

§. 1.

Declaratio eiusdem Eugenij in Concilio Florentino contra errores Conciliabuli Basileensis, & praua dogmata quorundam aliorum.

Eugenius Episcopus Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.



Oyses Seruus Dei, populi sibi commissi salutem zelans &c. & infra. Non dissimile à Basiliensibus illis hominibus perditissimis, nobis & Ecclesiæ Dei his diebus fieri contigit..... superbia eorũ iuxta prophetam ascendit semper, eo periculosius, quo sub reformationis specie, quam in se semper horruerunt, venena diffundunt .... memorati scandalorum duces .... dum Spiritus Sancti gratiam, pro ipsorum Græcorum vnione, iam in nobis ope-

operari conſpicerent, a recta linea, per anfractus erroris, exorbitantes, prætenſam quandam 17. Kalend. Iunij proxime ſeſſionem fecerunt, quibuſdam Decretis, licet per vnam tantum ex tribus obedientijs poſt receſſum Ioannis 23. ſic in eadem obedientia nuncupati, Conſtantiæ, ſciſmate tunc vigente, editis inhærere ſe dicentes, tres propoſitiones, quas fidei veritates vocant, quaſi nos, & omnes Principes, & alios Fideles, & deuotos Apoſtolicæ Sedis, hæreticos facerent, protulerunt, quarum tenor ſequitur in hæc Verba.

Veritas de poteſtate Concilij Generalis, Vniuerſalem Eccleſiam repræſentantis ſupra Papam, & quemlibet alterum declarata per conſtantienſe, & hoc Baſilienſe Generalia Concilia, eſt veritas Fidei Catholicæ.

Veritas hæc quod Papa, Concilium generale, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans actu legitime congregatum, ſuper declaratis in præfata veritate, aut aliquo eorum ſine eius conſenſu, nullatenus authoritatiue poteſt diſſoluere, aut ad aliud tempus prorogare, aut de loco, ad locum transferre, eſt veritas fidei Catholicæ.

Veritatibus duabus prædictis pertinaciter repugnans eſt cenſendus hæreticus.

In hoc perniciofiſſimi, dum ſuam malignitatem ſub veritatis fidei fuco colorant Conſtantienſe concilium in malum, ac reprobum ſenſum, & à ſana Doctrina peni-

tus alienum pertrahunt, cæterorum scismaticorum, & hæreticorum falsam doctrinam sequentes, qui confictos errores, & impia dogmata, ex diuinis scripturis, & Sanctis Patribus peruerse intellectis, semper sibi adstruere moliuntur.

Deinde pluribus interpositis procedit ad definitiones, ipsas, inquit, propositiones superius descriptas, iuxta prauum ipsorum Basiliensium intellectum, quem facta demonstrant, veluti Sacrosanctæ Scripturæ, & Sanctorum Patrum, & ipsius constantiensis concilij sensui contrarium, nec non præfatum assertum declarationis, seù priuationis sententiam, cum omnibus inde secutis, & quæ in futurum sequi possent, tanquem impias, & scandalosas, nec non in manifestam Ecclesiæ scissuram, ac omnis ecclesiastici ordinis, & Christiani Principatus confusionem cedentes, ipso Sacro aprobante Concilio, damnamus, & reprobamus, ac damnatas, & reprobatas nunciamus, decernimus etiam, ac declaramus omnes, & singulos prædictos fuisse, & esse scismaticos, & hęreticos &c. nulli ergo omnino hominum &c. Datum Florentię in sessione publica Synodali &c.



De-

§. 2.

Definitio Sanctę Oecumenici Synodi Florentinę.

EVgenius Episcopus Seruus Seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam, consentiente ad infrascipta charissimo in Christo filio nostro Ioanne Palæologo Romæorum Imperatore illustri, & loca tenentibus venerabilium fratrum nostrorum Patriarcharum, & cæteris Orientalem Ecclesiam repprę sentantibus. Lętentur Cœli, & exultet terra: sublatus est enim de medio paries, qui Occidentalem, orientalemque diuidebat Ecclesiam, & pax atquè concordia redijt, illo angulari lapide Christo, qui fecit vtraque vnum, vinculo fortissimo charitatis, & pacis vtrumque iungente parietem, & perpetuæ vnitatis fœdere copulante, ac continente; postque longam mœroris nebulam, & dissidij diuturni atram ingratamque caliginem, serenum omnibus vnionis optatæ iubar illuxit &c. In nomine igitur Sanctæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, hoc sacro vniuersali approbante Florentino Concilio diffinimus, vt hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur, & suscipiatur, sicque omnes profiteantur, quod Spiritus San-

Sanctus ex Patre, & filio æternaliter est, & essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex patre simul, & filio, & ex vtroque æternaliter tamquam ab vno principio, & vnica spiratione procedit, declarantes quod id, quod Sancti Doctores, & Patres dicunt ex Patrem per filium procedere, Spiritum Sanctum ad hanc intelligentiam, vt per hoc significetur: filium quoque esse secundum Græcos quidem causam, secundum latinos verò principium subsistentię Spiritus Sancti sicut, & Patrem. Et quoniam omnia, quæ Patris sunt, Pater ipse vnigenito suo gignendo dedit, pręter esse Patrem, hoc ipsum quod Spiritus Sanctus procedit ex filio, ipse filius à Patre æternaliter habet, à quo etiam æternaliter genitus est. Diffinimus insuper explicationem verborum illorum: filioque veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc necessitate licitè, ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam. Item in azimo, siue fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici, Sacerdotesque in altero, ipsum Domini corpus conficere debere, vnumquemque scilicet iuxta suæ Ecclesiæ siue occidentalis, siue orientalis consuetudinem. Item si verè pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequàm dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerunt, & omissis eorum animas pœnis purgatorijs post mortem purgari, & vt à pœnis huius-

mo-

modi releuentur, prodesse eis fidelium viuorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes, & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueuerunt, secundum Ecclesię Instituta: illorumque animas, qui post baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrunt; illas etiam quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatæ, in Cœlum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum Trinum, & vnum, sicuti est, pro meritorum tamen diuersitate, alium alio perfectius: Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in Infernum descendere, pęnis tamen disparibus puniendas. Item diffinimus Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem, in vniuersum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem, & Doctorem existere; & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi vniuersalem Ecclesiam, à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur. Renouantes insuper ordinem traditum in

Cano-

Canonibus, cæterorum venerabilium Patriarcharum; vt Patriarcha Constantinopolitanus secundus sit, post Sanctissimum Romanum Pontificem, tertius verò Alexandrinus, quartus autem Antiochenus, & quintus Hierosolymitanus; saluis videlicet omnibus priuilegijs, & Iuribus eorum. Datum Florentię in Sessione publica Synodali, solemniter in Ecclesia maiori celebrata, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo trigesimo nono, pridie nonas Iulij, Pontificatus nostri anno nono, Eugenius Papa IV.

Ego N. Tituli Sanctæ Crucis Presbyter Cardinalis supradictis definitionibus tamquam ver.s, & Catholicis me subscripsi.

Ioannes Paleologus, fidelis in Christo Rex, & Imperator Romæorum subscripsi.

Antonius humilis Metropolita Heracleen, & primarius Ædessenorum totius Thraciæ, & Macedoniæ Primas, & Philothei Sanctissimi Sedis Apostolicæ Alexandrinæ Patriarchæ Locumtenens subscripsi &c.

§ 3.

Nota Horatij Iustiniani in præfatam Constitutionem.

Existentes in Bassiliensi Concilio prætendebant, vt sess. 33. legitur, quod concilium esset supra Papam; huius prætensionis funda-

damentum, erat Decretum concilij constãtiensis sess. 4. & 5. vbi declaratur primo, dictum concilium habere potestatem à Christo immediate, cui quiuis cuiuscumque dignitatis, etiam papalis obedire tenetur, in ijs quę ad fidem, & reformationem Ecclesię spectant. Secundo, vt quicumque obedire eius Decretis contempserit, debite puniri possit.

In hac autem constitutione, declarat Eugenius, præfatum Decretum fuisse conditum à sola obedientia Ioannis 23. post eius recessum à concilio. Secundo docet in malum, & reprobum sensum à Basiliensibus pertrahi.

Vide prædictas notas, vbi idem Iustinianus fuse narrat statum, & progressum constantiensis concilij, in illo scismate trium Pontificum, & diluit obiectiones contrarias huic constit- obiectas.

§ 4.

Notæ è Seuerino Binio in Definitionem Oecnmenicæ Synodi Florentinæ.

HAbitis varijs sessionibus, in hoc Concilio de modo ineundæ Concordiæ, & vnionis inter Latinos, & Græcos, præsertim in eo puncto, quod spectabat ad processionem Spiritus Sancti ex Patre, & Filio circa illam particulam *filioque*, Marco Ephesino

no pro parte Græcorum contendente, hanc particulam sic additam, denotasse mutationem factam fuisse in Symbolo Nicæno, cōtra Decretum Ephesinæ Synodi vetantis nè vlla varietas, vel mutatio superadderetur dicto Symbolo; Latini è contra efficacissimis argumentis, ostenderunt per præfatam particulam nullam fuisse factam mutationem, sed esse meram explicationem articuli, aliàs definiti, & tales explicationes numquam fuisse prohibitas, cùm sint maximè necessariæ ad declaranda Fidei Misteria, quod demonstrarunt exemplo ipsius Symboli Nicęni, quod non est nisi explicatio Symboli Apostolici, hoc solo discrimine, vt quod in Symbolo Apost. dicitur implicitè, ibi dicatur magis expresse, & præfatam particulam ad huiusmodi declarationem fuisse adhibitam, tum à multis Patribus Græcis, tùm denique ab Vniuersali Nicæna secunda Synodo: Marcus Ephesinus cauillabatur definitionem præfatæ Nicænæ Synodi secundæ fuisse variatam, & corruptam, sed hæc illius Cauillatio fuit efficacitèr refutata tùm ab alijs, tū à Bessarione Nicæno; Cum enim Ephesinus obijceret, omnes codices à latinis adductos pro præfata particula -- *filioquè* -- ex gręcis monumentis, fuisse in hac re corruptos, eidem respondit Bessarion, ista ratione futurum esse, vt sublatis, quæ vt ille putabat, mendis, sola papyrus relinqueretur.

Quare celebrata est tandèm sessio secunda

& vl-

& vltima die 24. Martij anni Christi 1439. in qua pro parte latinorum ex alijs Testimonijs Basilij, Epiphanij, Athanasij, Dydimi, & Cyrilli, doctrina de Processione Spiritus Sācti ex Patre filioque confirmata fuit: vnde Græci instituta, de eadem re priuata collatione, illa omnia veritati esse consona comperorunt; hinc illis omnibus priuatim, in Templo Sancti Francisci conuenientibus, excepto vnico Marco Acphesino, visum fuit cum Romanis incundam esse pacem, vnionem, & concordiam, eo quod tot Sancti Patres doctrinam de Processione Spiritus Sancti ex Filio procedentis profiterentur, quare vnanimi consensu missis ad Eugenium IV. Pōtificem Internuntijs pacem, & concordiam contrahi, modumque ineundæ vnionis à Romanis Pontificibus præscribi petiuerunt: quibus cùm Pontifex optionem daret, vt vel allatis Testimonijs acquiescerent, vel illis refūtatis, alios Patres pro suo dogmate adducerent, Græci ferè omnes, suæ causæ diffidentes, concluserunt latinorum Sententiæ accedendum esse. Imperator Paleologus petitam cōcordiam turbare nitebatur, quod cùm relatum esset Iosepho Patriarchæ, ille Imperatori nunciauit, se pacem, & concordiam desiderare, & cum Romana Ecclesia coniungi velle, etiamsi Imperator contradiceret, & rogauit Imperatorem, vt optatam sibi totique Græcorum Conuentui concordiam promoueret: Ad hæc Imperator Oratione

tione ad Episcopos habita persuasit concordiam ineundam esse, quia concordia vtilis, discordia incommoda, & inhonesta foret.

Hinc Græcorum Episcopi omnes vna cum Patriarcha, præter vnum Marcum Ephæsinum, publicè professi sunt latinorum sententiam veram esse, non solum in præfato puncto de Processione Spiritus Sancti, sed etiam similiter verum essequod, Romanus Pontifex, in Ecclesia teneat Primatum, sitque verus Petri Successor, quod Purgatorium existat, &c.

Et ita factum est superius Decretum, in quo persati articuli cum alijs definiuntur.

§. 5.

Proscriptio errorum Philiippi Norreis.

Diploma Eugenij Papa IV. apud Vuaddingum Annalium Minorum Tomo quinto ad annum Christi 1440. *nu.* 19.

Venerabilibus Fratribus, Dublinensi & Armachano, Archiepiscopis, & Episcopis salutem, & Apostolicam Benedictionem.

EXhibita nobis pro parte filiorum dilectorum, vniuersorū Magistrorū, & Ministro-

nistrorum, aliorumque Fratrum, Prędicatorum, Minorum, Eremitarum, & Beatæ Mariæ de Monte Carmeli, Ordinum petitio continebat, quod licet olim ipsi Ordines, sanctè & iustè adinuenti, & in Dei Ecclesia instituti, ac à Sede Apostolica extiterint approbati, nec non & ex eis fides Catholica nō modicum susceperit incrementum, tamen iniquitatis filius, Philippus Norreys de Hibernia, qui se gerit pro Magistro in Theologia, Dublinensis Diœcesis, suę salutis immemor, non verens linguam suam in peruersionem status, & Religiosorum Ordinum eorundem, ad iniqua, reprobataque verba protendere, nuper malitiosè, peruersè, damnatè, & erroneè, in Regno Angliæ, & Terra Hibernię, in fidei Catholicæ diminutionem, Sanctæque vniuersalis Ecclesiæ, ac Dei, & Sanctorum ignominiam, ac dedecus, nec non Christi fidelium animarum periculum, dixerit, & docuerit: Quòd sicut muri Ierusalem erant destructi per quatuor diuersos Principes, sic Ecclesia erit destructa per Fratres quatuor Ordinum Mendicantium. Item, sicut Princeps tributorum missus ab Antiocho in Ciuitatem Ierusalem, loquutus est ei verba pacifica in dolo, sic Fratres quatuor Ordinum Mendicantium venerunt in Ecclesiam cum dolo, vt destruerent eam pro eorū conatu, & posse. Item, sicut Princeps tributorum venit in Ciuitatem Ierusalem cum turba multa, &

turba dicitur à *turbo,as*,sic Fratres intrauerunt Ecclesiam, & sunt in ea quasi *turba*, quia perturbant Ecclesiam. Item, sicut Gabaonitæ venerunt ad Ducem Iosue cum mendaciis, sic Fratres quatuor Ordinem Mendicantium intrauerunt Ecclesiam cum mendaciis. Item asseruit, quòd fuerunt quatuor Cõcilia generalia celebrata,in quibus diuersi hæretici fuerũt condẽnati, & tamen Fratres quatuor Ordinum Mendicantium sunt ribaldi pessimi. Item, quòd Fratres quatuor Ordinum Mendicantium sunt fures, & latrones, & spoliant Sanctam Ecclesiam. Item, quòd Fratres quatuor Ordinum Mendicantium sunt peiores Iuda traditore. Item, quod Fratres quatuor Ordinum Mendicantium sunt lupi rapaces. Item, quod Fratres quatuor Ordinum Mendicantium sunt Antichristi, & directè contra Christum. Item, quod Fratres quatuor Ordinum Mendicantium sunt discipuli Mahometi. Item, quod nullus parochianus cuiuscunque parochiæ potest accedere ad aliquem Fratrem admissum in forma iuris secundum capitulum, *Dudum*, gratia confessionis faciendę sine licẽtia proprij Sacerdotis, siue Curati parrochialis. Item, quod confessi Fratribus admissis secundùm formam capituli, *Dudum*, tenẽtur iteratè quolibet anno omnia peccata sua, ac eadem in numero confiteri suo proprio Sacerdoti, quem dixit esse Parochialem Curatum. Item, dixit, firmiter se credere nullum bo-

bonum hominem esse inter Fratres quatuor Ordinum Mendicantium. Item, quod dubitauit aliquos Fratres quatuor Ordinum Mendicantium esse Sacerdotes, aut habere Sacrum Ordinem Presbyteratus. Item, dixit apertè, quod ipsemet noluit stare iudicio Domini Papæ, sed iudicio Concilij Generalis. Item, dixit indifferentèr, quod nullus Sacerdos, siue Religiosos, siuè non, deberet quouis modo mendicare: nec non plura alia sediriosa, atque peruersa, ab eadem fide penitùs aliena, coram omni populo palam prædicare non expauit, in Fratrum, & Prædicatorum Ordinum detrimentum, vilipendium, & contemptum. Nosque huiusmodi causæ examinationē, dilecto filio nostro Dominico Sanctæ Mariæ in via lata Diacono Cardinali, viuæ vocis oraculo, vt de præmissis se diligenter informaret, & quicquid in re hac informationis reciperei, nobis in Cōsistorio secreto referret, ad dilecti filij Venturæ de Castello, nostri, & Romanæ Curiæ Procuratoris fidei, causæque huiusmodi promotoris instantiam commisimus, & facta nobis desuper in Consistorio præfato relatione fideli, de mandato nostro, iurisque peritorum, & in Sacra Theologia Magistrorum, consilio & assensu.

Per suam diffinitiuam sententiam pronūciauit, decreuit, & declarauit, prout hæc omnia in libello, per dictum Venturam Procuratorem in huiusmodi causa exhibito, petita fuerant, nonnullos dictorum articulo-

rum, quos dictus Philippus protulit, & prædicauit, fuisse, & esse falsos; scandalosos; iniuriosos, blasphemos, seditiosos, quosdam erroneos, quosdam verò alios damnatos, & reprobatos, illosque Dei, & Ecclesię Sanctæ, ac Sanctorum ignominiam, & dedecus, & manifestam hæresim sapere, & multarum animarum periculum generare, dictumque Philippum, & eius sequaces, errantes, mendaces, ac in prædictis scandalosos, & à decretis, & ordinatis, per Romanam Ecclesiam, ac Apostolicam Sedem, ab expressaque, & euidenti veritate deuios, alienos, ac alios assertores, & Prædicatores nonnullorum ex prædictis articulis, iuxta decreta quorundam Prædecessorum nostrorum, tanquam hæreticos esse censendos, & vt tales reprobandos, ac damnandos, & ab omnibus Christi fidelibus euitandos fore, ac reprobari, damnari, & euitari debere. Ipsos igitur Philippum, & sequaces, si de cætero contra huiusmodi sententiam, & declarationem directè, vel indirectè; publicè, vel occultè, quouis quæsito colore venire præsumpserit, & præsumpserint, ac nisi dictus Philippus præfatos articulos vbicumque eos legisse, dogmatizasse, & prædicasse reperiri contigerit, quoties opus fuerit, ad requisitionem Magistrorum, Ministrorum, & Fratrum huiusmodi reuocauerit, ex nunc, prout ex nunc, & ex tunc, prout ex nunc, ipso facto excommunicationis sententiam, à qua

nisi

Digitized by Google

nisi per Romanos Pontifices, vel alios à nobis super hoc potestatem habentes, prætérquàm in mortis articulò, non possint absolui, ac priuationis omnium benificiorum, & officiorum suorum Ecclesiasticorum, quæ obtinent, nec non honorum, & dignitatum, ac inhabilitationis etiam ad futura, & alias pœnas à dictis prædecessoribus nostris, & aliàs à iure circa prædicta contra tales generalitèr, vel specialiter promulgatas incurrisse, declarandos fore, & declarari: ad quæ quidem beneficia, officia, dignitates, & honores restitui, vel rehabilitari non possint; nisi, vt præfertur, per nos, vel alium super hoc à nobis potestatem habētem: præfatum Philippum in expensis, in huiusmodi causa legitimè factis condemnandum fore, & cōdemnauit, illarum taxatione sibi in posterū reseruata; & subsequentèr Cardinalis præfatus expensas ipsas in ducentis, & quinquaginta florenis auri de Camera boni, & iusti ponderis prouida moderatione taxauit, dilecti filij Edmundi Suine Ordinis Prædicatorum, quoad præmissa Procuratoris super expensis eisdem iuramento secuto, prout in instrumento publico inde confecto, ipsius Cardinalis sigillo munito, plenius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, Magistri, Ministri, & Fratres huiusmodi dubitent, ne Philippus, & sequaces prædicti prefatos articulos, quoties opus fuerit, reuocare, & aliàs Cardinalis senten-

tiæ huiusmodi reuerentèr parere non voluerint, pro parte Magistrorum, Ministrorum, & Fratrum eorundem nobis fuit humiliter supplicatum, vt prouidere eis super his de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut vnus vestrum per vos, vel alium, seu alios præmissa executioni debitæ demandetis, dictamque sententiam.

Vbi, & quando expedire videritis, authoritate nostra solemniter publicare faciatis; eisdem Magistris, Ministris, & Fratribus, vel dicto eorum Procuratori, de Florenorum summa huiusmodi pro expensis, iuxta præfati instrumenti, earundem condemnationis, & taxationis tenorem, plenam & debitam satisfactionem impendi, & nihilominus legitimis super his per nos habendis, seruatis processibus, eos quoties expedierit aggrauare curetis, contradictores per cẽsuram Apostolicam appellatione postposita compescendo, inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis, non obstante si Philippo præfato, seu quibusuis alijs communiter, vel diuisim à dicta sit Sede indultum, quo interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, & de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Da-

Datum Florentiæ, anno Incarnationis Dominicæ 1440. Pontificatus nostri anno 10.

§. 6.

Notę Lucæ Vvaddingi in prædictam Bullam.

Philippus Norreys, in Sacra Theologia Magister, Dubliniensis Diœcesis in Hibernia, Ordinum Mendicantium hostis accerrimus, assumptis Armacani armis, & multis contra eos excogitatis insulsissimis, & insanis propositionibus, scriptisque libellis, in eos abijt errores, vt commissa causa Dominico Sanctæ Mariæ in via lata Diacono Cardinali, in secreto Consistorio, & ex iudicio virorum Doctorum, primò à Cardinale, mox à Pontifice fuerit ipse, & sequaces tanquam hæretici, & erronei condemnati.



CAPVT XII.

Prohibentur errores Petri de Osma.

Constitutio 17. SIXTI QVARTI.

Damnatio quarundam propositionum à Petro de Osma, & aliis, temerè proditarum, circà peccatorum confessionem, & alia Sanctæ R. E. Sacramenta.

Sixtus Episcopus Seruus Seruorum Dei ad futuram rei memoriam.



Licet ea, quæ de nostro mandatò ritè fiunt, plenam obtineant roboris firmitatem, tamen illis interdùm nostri muniminis robur adijcimus, vt eo firmius illibata persistant, quo magis nostro fuerint præsidio communita.

§. 1. Dudum siquidem ad audientiam nostram deducto, quod à modico tunc decurso tempore citrà in Hispaniarum Regnis, & præsertim in vniuersitate studij Salamantini, fuerant, & adhuc erant, nonnulli iniquitatis filij, qui quasdam falsas, Sanctæ fidei contrarias, erroneas, scandalosas, & ma-

malè sonantes propositiones, præsertim circà peccatorum confessionem, & Ecclesiastica Sacramenta, in studio huiusmodi, & in frequentissimo hominum cætu, veras esse publicè affirmare, & pertinacissimè sustentare, ac defendere, apertissimas Sacræ Scripturæ auctoritates eorum erroribus repugnantes, illarum rectum, clarum & apertum sensum, falsis eorum interpretationibus imprudenter violando refellere, huiusmodi quoque eorum falsa dogmata manifestè hæreticæ prauitatis labem continentia, in aliorum mentes inserere, & simplicium animas illaqueare, & vt illa in plurium notitiam peruenirent, & in perpetuum de illis memoria haberetur libros componere, & in publicum, vt illos legendi omnibus esset facultas, tradere præsumpserāt eatenus, & præsumebant.

§. 2. Nos tunc Ven. Fratri nostro Alphōso Archiepiscopo Toletano, per alias nostras litteras commisimus, vt assumptis secum in Theologia Magistris, & alijs viris litteratis, vocatis ijs, qui propositiones ipsas veras esse affirmare nixi erant, & nitebantur in dies, & auditis, quæ ipsi pro illarum veritate, & alij Christi fideles ad dilucidandam earum falsitatem deducere vellent, an quæ in propositionibus huiusmodi continebantur, falsa, & fidei præfatæ contraria, erronea, & malè sonantia existerent, auctoritate nostra decideret, & declararet. Et declarationem huius-

huiusmodi facta, illos quos in præmissis culpabiles esse reperiret, si iuxta Sanctorum Patrum instituta, & Canonicas Sanctiones, se emendare, & depositis de cordibus eorum totaliter erroribus prædictis, ad Ecclesiæ vnitatem, hæretica labe huiusmodi abiurata, redire, & iuxta declarationem suam, tales propositiones esse scandalosas, falsas, & hæreticas, ac male sonantes fateri; & desuper confectum librum huiusmodi retractare, & cum effectu refutare recusarent, & in illis, eorumque erroribus pertinaciter insistere vellent, hæreticos, ac censuris, & pœnis in tales à Iure promulgatis irretitos esse decerneret, plena sibi desuper auctoritate concessa, prout in nostris inde tunc confectis litteris plenius continetur.

§. 3. Postmodum verò, sicut accepimus Præfatus Archiepiscopus ad executionem dictarum litterarum, earum forma seruata, ritè procedens dilectos filios Petrum de Praxamo, & Petrum de Ocanno, ac Petrum de Caloca, nec non Didacum de Betonno, Martinum quoque Alphonsi de la Torre Magistros, & Petrum Didaci de Costana, & Ioannem de Quintana Paglia, licentiatos in Theologia; nec non Tellium de Beuendia, Toletanum &c. Vascuno de Pibeia de Talauera, in eadem Ecclesia Archidiaconum, Marchiones, & Thomam de Euenca, & Ioãnem de Medina Decretorum Doctores, ac Garziam Fernandi de Alcala in eisdem decre-

cretis licentiatum, & alios quamplures Magistros in Theologia, ac Doctores, & licentiatos in eisdem Decretis; alios quoque quãplurimos doctos, & licentiatos litteratos viros, ex diuersis regnorum prædictorum locis, pariter & dilectum filium Petrũ de Osma propositionum prędictarum auctorem; eiusque sequaces, coram se ad suum Oppidum de Alcalá Toletanæ Diœcesis euocari fecit, & dicto Petro de Osma, ac sequacibus minimè comparentibus, debito tempore expectatis, matura super omnibus propositionibus prędictis, deliberatione præhabita, de vnanimi consilio, & assensu Magistrorũ, & Doctorum prædictorum, declarauit illas propositiones, per quas Petrus de Osma, & eius sequaces prædicti pertinaciter affirmare non verebantur, confessionem peccatorum in specie, ex vniuersalis Ecclesiæ realiter statuto, non diuino Iure compertam fore. Et peccata mortalia quoad culpam, & pœnam alterius sæculi, absque confessione, sola cordis contritione, prauas verò cogitationes sola displicentia deleri; Et quod confessio secreta sit, necessario non exigi. Et non peracta pœnitentia confitentes absolui non debere. & Romanum Pontificem, purgatorij pœnam remittere, & super his, quę vniuersalis Ecclesia statuit, dispensare non posse. Sacramentum quoque pęnitentiæ, quantum ad collationem gratiæ, naturæ, non autem Institutionis noui, aut

ve-

veteris testamenti existere,& alias quas propter earum enormitatem (vt illi qui de eis notitiam non habent ex præsentibus non instruantur in eis) silentio prætereundas ducimus, falsas, Sanctæ Catholicę fidei contrarias, erroneas, & scandalosas, ac à fidei veritate alienas, ac Sanctorum Patrum decretis, & Apostolicis Constitutionibus contrarias fore, manifestam hæresim continere,dd. litterarum, & per illas sibi concessæ facultatis vigore, declarauit, & pro talibus haberi, & reputari debere decreuit, prout in quibusdam authenticis scripturis desuper confectis, plenius continetur.

§. 4. Et demum præmissis, sicut præfertur gestis, & propositis in Concistorio coram nobis, nos dilectis filiis nostris Stephano Tit. S. Marię in Transtiberim, & Ioanni Tit. S. Praxedis Presbyteris Cardinalibus commisimus, vt de præmissis gestis,per ipsum Archiepiscopum diligenter se informarent, & quæ inuenirent nobis & aliis fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus referrent, qui tam zelo fidei, quam vt nostris parerent mandatis, onus huiusmodi prompta voluntate suscipientes, cuncta diligenter rimarunt, & quæ inuenerunt nobis, & aliis fratribus nostris memoratis, fideliter retulerunt, propositiones prefatas erroneas fore, pluribus auctoritatibus, & rationibus, præter illas quas in Archiepiscopi processibus in-

inuenerunt, etiam demonstrantes, zelo fidei memoratę.

§. 5. Nos igitur ad quem spectat, errores huiusmodi extirpare, eorumdem S. Mariæ in Transtiberim, & Sanctę Praxedis Cardinalium relatione prædicta, ipsius Archiepiscopi Solertiam, & diligentiam in præmissis, plurimum in Domino commendantes, ex certa nostra scientia, Archiepiscopi declarationem, & decretum huiusmodi, & prout illa concernunt, omnia, & singula in scripturis prędictis Archiepiscopi, super præmissis confectis contenta, auctoritate Apostolica tenore præsentium, de eorundem referentium, & aliorum fratrum nostrorum vnanimi consilio, & assensu laudamus, confirmamus, & approbamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes, & singulos defectus, si qui forsan interuenerint, in eisdem.

§. 6. Nihilominus pro potioris cautelę suffragio, omnes & singulas propositiones prædictas falsas, Sanctæ Catholicę fidei contrarias, erroneas, & scandalosas, & ab Euangelica veritate penitus alienas, Sanctorum quoque Patrum decretis, & aliis Apostolicis Constitutionibus contrarias fore, ac manifestam hæresim continere, dicta auctoritate declaramus.

§. 7. Præfato quoque Archiepiscopo, scientia, & auctoritate prędictis committimus, & mandamus, vt contra dicti Petri de Osma

ma sequaces prędictos, si huiusmodi hęresim, in quam prolapsi sunt, abiurare & eundem Petrum, prout errantem secuti sunt, errores suos abiurantem, & se emendantem sequi recusauerint, aut malitiosè distulerint, iuxta prædictarum aliarum nostrarum litterarum continentiam, tamquam hæreticos procedere non omittat.

§. 8. Et vt gesta per eum probe, & laudabiliter, zelo fidei de mandato nostro, & per nos merito approbata, ad omnium illarum Incolarum partium notitiam facilius perueniant, qua habita possint se ipsos ita, ne in prædictos prolabantur errores, liberius custodire, præsentes nostras litteras, cum processu, per eum habito, ac dicti Petri abiuratione, singulis illarum partium Episcopis significare non omittat. Qui post significationem eamdem, Clero & Populo suarum Ciuitatum, & Diœcesum ea publicari procurent, & generaliter omnia faciant, quæ pro huiusmodi hæresis extirpatione necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna videbuntur.

§. 9. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quæ in dd. litteris voluimus non obstare, cæterisque contrarijs quibuscumque.

§. 10. Nulli ergo &c. nostræ laudationis, confirmationis, approbationis, communitionis, declationis, commissionis, & mandati paginam infringere &c., si quis &c.

Da-

Digitized by Google

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno millesimo quadringentesimo septuagesimo octauo, quinto Idus Augusti Pontificatus nostri anno octauo.

§. *Vnicus.*

Notæ in prædictam Sixti Quarti Bullam ex historia Pontificali, & Catholica Gonzales de Illescas.

OCtauo anno, inquit Illescas lib.6.cap.18. Pontificatus Sixti IV. Magister Petrus de Osma Professor Salmanticensis, publicauit in Hispania libellum de confessione, in quo per viros doctos notatæ sunt nouem conclusiones hæreticæ, scandalosæ, malesonantes, quoad potestatem Summi Pontificis, & Sacramentum pœnitentię, ex quibus tam Salamanticæ, quam per totam Hispaniam, grauissimum scandalum ortum est, de quo data est notitia Summo Pontifici, qui super hac re commisit authoritatem Archiepiscopo Toletano, Domino Alphonso Carrillio, vt declararet, ac determinaret omnes conclusiones falsas, & erroneas, quæ in præfato libro continebantur. Archiepiscopus virtute facultatis, & commissionis sibi datę, iussit congregari Compluti quinquaginta duos Theologos ex præstantioribus Hispaniæ, quibus addidit nonnullos Doctores iuris Canonici, & exacto solemni iuramento ab iisdem, vt libere edicerent suas senten-

tias,

tias, eis præcepit, vt dictum negotium discuterent; cumque ipsi illud accuratè expendissent,& examinassent die 24. Maii anni 1469. Archiepiscopus ex iudicio, & sententia dictorum Theologorum, & instrumentum per instrumentum authenticum Notarij, & testium, pronunciauit sententiam, qua declarauit illas conclusiones esse hæreticas, scandalosas, erroneas, & malesonantes, iussitque publicè comburi ipsum librum, & Authori præcepit, vt se, & dictos errores è suggestu retractaret, cui mandato author paruit,& mandatum executus est: Summus Pontifex desuper suas Bullas expediuit, & approbauit acta Archiepiscopi in hac causa, quæ existunt in Archiuijs Toletanis. Hactenus Illescas: copiam horum actorum quæsiui hic Romæ, nec inuenire potui, eam expecto ex Hispania, quæ si reperiatur curabo ad maiorem huius Bullæ elucidationem recudi.



CA

CAPVT XIII.

Damnatur hæresis Lutherana

Constitutio XL. Leonis Decimi.

Damnatio errorum Martini Lutheri, & sequacium cum monitione, & requisitione, vt ab eis recedant.

Martinus (licet plerique conuersi sint) obduratus permansit, ideoque damnatus, & excommunicatus fuit, cum omnibus suis adhærentibus & fautoribus, vt in seq. Constitut.

Leo Episcopus Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXVRGE Domine, & iudica causam tuã, memor esto improperiorum tuorum, eorũ quę ab insipientibus fiunt tota die: inclina aurem tuam ad preces nostras, quoniam surrexerunt vulpes, quærentes demoliri vineam

cuius tu torcular calcasti solus, & ascensurus ad Patrem, eius curam, regimen, & administrationem Sancto Petro, tanquam capiti, & tuo Vicario, eiusque successoribus instar triumphantis Ecclesiæ commisisti. Exterminare nititur eam aper de Sylua, & singularis ferus depascitur eam. Exurge Petre, & pro pastorali cura præfata tibi (vt præfertur) diuinitus demandata, intende in causam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Matris omnium Ecclesiarum, ac fidei Magistræ, quam tu, iubente Deo, tuo sanguine consecrasti. Contra quam sicut tu præmonere dignatus es, insurgunt Magistri mendaces introducentes sectas perditionis, sibi celerem interitum superducentes: quorum lingua ignis est, inquietum malum, plena veneno mortifero: qui zelum amarum habentes, & contentiones in cordibus suis, gloriantur, & mendaces sunt aduersus veritatem. Exurge tu quoque, quæsumus Paule; qui eam tua doctrina, ac pari Martyrio illuminasti atque illustrasti. Iam enim surgit nouus Porphirius, quia sicut ille olim Sanctos Apostolos, iniustè momordit, ita hic Sanctos Pontifices Prædecessores Nostros, contra tuam doctrinam, eos non obsecrando, sed increpando mordere, lacerare, ac vbi causæ suæ diffidit, ad conuicia accedere non veretur, more hæreticorum, quorum (vt inquit Hieronymus) altissimum præsidium est, vt cum conspiciant causas suas damnatum iri, incipiant

piant virus serpentis lingua diffundere: & cum se victos conspiciant, ad contumelias prosilit. Nam licet hæreses esse ad exercitationem fidelium tu dixeris oportere, eas tamen ne incrementum accipiant, neue vulpeculæ coalescant, in ipso ortu, te intercedente, & adiuuante, extingui necesse est. Exurgat denique omnis Sanctorum, ac reliqua vniuersalis Ecclesia, cuius vera sacrarum litterarum interpretatione posthabita, quidam, quorum mentem pater mendacij excæcauit, ex veteri hæreticorum Instituto, apud semetipsos sapientes, scripturas easdē aliter, quam Spiritus Sanctus flagitet, proprio dumtaxat sensu, ambitionis, auræque popularis causa, teste Apostolo interpretantur, immò verò torquent & adulterant: ita vt iuxta Hieronymum, iam non sit Euangelium Christi, sed hominis, aut quod peius est, Diaboli. Exurgat, inquam præfata Ecclesia Sancta Dei, & vna cum Beatissimis Apostolis præfatis, apud Deum omnipotentem intercedat, vt purgatis ouium suarum erroribus, eliminatisque à fidelium finibus hæresibus vniuersis, Ecclesiæ suæ Sanctæ pacem, & vnitatem conseruare dignetur.

Dudum siquidem, quod præ animi angustia; & mærore exprimere vix possumus, fide dignorum relata, ac fama publica referente, ad nostrum peruenit auditum; imo vero proh dolor, oculis nostris vidimus ac legimus multos & varios errores, quos-

dam videlicet iam per concilia, ac Prædecessorum nostrorum Constitutiones, damnatos, hæresim etiam Græcorum, & Bohemicam expresse continentes; alios verò respectiuè, vel hæreticos, vel falsos, vel scandalosos, vel piarum aurium offensiuos, vel simplicium mentium seductiuos, à falsis fidei cultoribus, qui per superbam curiositatem, mundi gloriā cupientes, contra Apostoli doctrinam plus sapere volunt, quàm oporteat: quorum garrulitas (vt inquit Hieronymus) sine scripturarum auctoritate, non haberet fidem, nisi viderentur peruersam doctrinam, etiam diuinis testimonijs, male tamen interpretatis, roborare; A quorum oculis Dei timor recessit, humani generis hoste suggerente, nouiter suscitatos, & nuper apud quosdam leuiores in inclyta Natione Germanica seminatos: Quod eo magis dolemus ibi euenisse, quod eandem Nationem, & nos, & Prædecessores Nostri in visceribus semper gesserimus charitatis. Nam post transitum ex Græcis, à Romana Ecclesia, in eosdem Germanos Imperium, iidem Prædecessores Nostri, & nos, eiusdem Ecclesiæ Aduocatos, defensoresque ex eis semper accepimus. Quos quidem Germanos catholicę veritatis vere Germanos, constat hæresum accerrimos oppugnatores sēper fuisse, cuius rei testes sunt laudabiles illæ Constitutiones Germanorum Imperatorum, pro libertate Ecclesiæ, proque repel-

lendis, exterminandisque, ex omni Germania hæreticis, sub grauissimis pęnis, etiam amissionis Terrarum, & Dominiorum, contra receptatores, vel non expellentes olim editæ, & à Nostris Prædecessoribus confirmatæ: quæ si hodie seruarentur; & nos; & ipsi vtique hac molestia careremus. Testis est in Concilio Constansien. Hussitarum, ac vuicleffistarum necnon Hieronymi Pragen. damnata ac punita perfidia. Testis est toties contra Bohemos Germanorum sanguis effusus. Testis denique est prædictorum errorum, seù multorum ex eis, per Colonien. & Louanien. Vniuersitates, vtpotè agri Dominici pijssimas, religiosissimasque cultrices, non minus docta, quam vera ac Sancta cunfutatio, reprobatio, & damnatio. Multaquoque alia allegare possumus, quæ, ne historiam texere videamur, prætermittēda censuimus. Pro pastoralis igitur officij Diuina gratia nobis iniuncti cura, quam gerimus, prædictorum errorum virus pestiferum, vlterius tollerare, seù dissimulare, sine Christianæ Religionis, atque orthodoxæ fidei iniuria, nullo modo possumus. Eorum autem errorum aliquos, præsentibus duximus inserendos, quorum tenor sequitur, & talis est.

§. 2. 1. Hæretica sententia est, sed vsitata, Sacramenta nouæ legis iustificantem gratiam illis dare, qui non ponunt obicem.

2 In puero post baptismum negare remanens

manens peccatum est Paulum, & Christum simul conculcare.

3 Fomes peccati, etiam si nullum adsit actuale peccatum, moratur exeuntem à corpore animam, ab ingressu Cęli.

4 Imperfecta charitas morituri, fert secum necessario magnum timorem, qui se solo satis est facere pęnã Purgatorij, & impedit introitum Regni.

5 Tres esse partes pęnitentiæ, contritionem, confessionem, & satisfactionem, non est fundatum in Sacra Scriptura, nec antiquis Sanctis Christianis Doctoribus.

6 Contritio quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum grauitatem, multitudinem, fęditatem, amissionem æternæ Beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionem, hæc contritio facit hypocritam, imò magis peccatorem.

7 Verissimum est prouerbium, & omnium doctrina de contritionibus hucusque data præstantius, de cętero non facere, summa pęnitentia, optima pęnitentia, noua vita.

8 Nullo modo præsumas cõfiteri peccata venialia, sed nec omnia mortalia, quia impossibile est, vt omnia mortalia cognoscas. Vnde in primitiua Ecclesia solum manifesta mortalia confitebantur.

9 Dum

9 Dum volumus omnia pure confiteri, nihil aliud facimus, quam quod Misericordiæ Dei nihil volumus relinquere ignoscendum.

10 Peccata non sunt vlli remissa, nisi remittente Sacerdote, credat sibi remitti, immò peccatum maneret, nisi remissum crederet, non enim sufficit remissio peccati, & gratiæ donatio, sed oportet etiam credere esse remissum.

11 Nullo modo confidas absolui propter tuam contritionem, sed propter verbū Christi, quodcumque solueris, &c. Hic, inquam, confide, si Sacerdotis obtinueris absolutionem, & crede fortiter te absolutū, & absolutum verè eris, quicquid sit de contritione.

12 Si per impossibile Confessus, non esset contritus, aut Sacerdos non serio, sed ioco, absolueret, si tamen credat se absolutum, verissimè est absolutus.

13 In Sacramento pœnitentiæ, ac remissione culpæ, non plus facit Papa, aut Episcopus, quam infimus Sacerdos: imo vbi non est Sacerdos, æque tantum quilibet Christianus, etiam si mulier, aut puer esset.

14 Nullus debet Sacerdoti respondere, se esse contritum, nec Sacerdos requirere.

15 Magnus est error eorum, qui ad Sacramentū Eucharistiæ accedunt, huic innixi, quod sint confessi, quod non sint sibi

conscij alicuius peccati mortalis, quòd præmiserint orationes suas, & præparatoria, omnes illi ad iudicium sibi manducant, & bibunt: sed si credant, & confidant se gratiam ibi consecuturos, hæc sola fides facit eos puros, & dignos.

16 Consultum videtur, quod Ecclesia in communi concilio statueret, laicos sub vtraque specie communicandos, nec Bohemi communicantes sub vtraque specie, sunt hæretici, sed schismatici.

17 Thesauri Ecclesiæ vnde Papa dat Indulgentias, non sunt merita Christi, & Sanctorum.

18 Indulgentiæ sunt piæ fraudes fidelium, & remissio bonorum operum & sunt de numero eorum, quæ licent, & non de numero eorum, quæ expediunt.

19 Indulgentię his, qui veraciter eas cōsequuntur, non valent ad remissionem pęnę pro peccatis actualibus debitę, apud diuinam Iustitiam.

20 Seducuntur credentes, indulgentias esse salutares, & ad fructum Spiritus vtiles.

21 Indulgentię necessarię sunt solū pro publicis criminibus, & proprie conceduntur duris solummodo, & impatientibus.

22 Sex generibus hominum indulgentiæ, nec sunt necessariæ, nec vtiles: videlicet mortuis; seù morituris, infirmis; legitimè impeditis, his qui non cōmiserunt crimina, iis qui crimina commiserunt, sed non pu-

Digitized by Google

blica, his qui meliora operantur.

23 Excommunicationes sunt tantum externæ pœnæ, nec priuant hominem communibus spiritualibus Ecclesiæ orationibus.

24 Docendi sunt Christiani, plus diligere excommunicationem, quam timere.

25 Romanus Pontifex Petri successor, non est Christi Vicarius, super omnes totius Mundi Ecclesias, ab ipso Christo in B. Petro Institutus.

26 Verbum Christi ad Petrum; quodcumque solueris super terram &c. extenditur dumtaxat ad ligata ab ipso Petro.

27 Certum est in manu Ecclesiæ, aut Papæ prorsus non esse, statuere articulos fidei, imò nec leges morum, seù bonorum operum.

28 Si Papa cum magna parte Ecclesiæ sic vel sic sentiret, nec etiam erraret: adhuc non est peccatum, aut hæresis contrarium sentire, præsertim in re non necessaria ad salutem, donec fuerit per Concilium Vniuersale alterum reprobatum, alterum approbatum.

29 Via nobis facta est eneruandi auctoritatem Conciliorum, & liberè contradicendi eorum gestis, & iudicandi eorum decreta, & confidenter confitendi, quicquid verum videtur, siuè probatum fuerit, siuè reprobatum à quocumque Concilio.

30 Aliqui Articuli Ioannis Hutz con-

demnati in Concilio Constantiensi sunt Christianissimi, verissimi, & Euangelici, quos nec Vniuersalis Ecclesia potest damnare.

31 In omni opere bono Iustus peccat.

32 Opus bonum optimè factum, est veniale peccatum.

33 Hæreticos comburi, est contra voluntatem Spiritus.

34 Præliari aduersus Turcas, est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos.

35 Nemo est certus, se non semper peccare mortaliter, propter ocultissimum superbiæ vitium.

36 Liberum arbitrium post peccatum, est res de solo titulo, & dum facit quod in se est, peccat mortaliter.

37 Purgatorium non potest probari ex Sacra Scriptura, quæ sit in Canone.

38 Animæ in purgatorio non sunt securæ de earum salute, saltem omnes, nec probatum est vllis aut rationibus aut scripturis, ipsas esse extra statum merendi, aut augendæ charitatis.

39 Animæ in purgatorio peccant sine intermissione, quandiu quærunt requiem; & horrent pœnas.

40 Animæ ex purgatorio liberatæ suffragijs viuentium, minus beantur, quam si per se satisfecissent.

41 Prælati Ecclesiastici & Principes Seculares, non malefacerent, si omnes saccos mendicitatis delerent,

S.3.

§. 1. Qui quidem errores, respectiue, quam sunt pestiferi, quam perniciosi, quam scandalosi, quam piarum & simplicium mētium seductiui, quam denique sint contra omnem charitatem, ac S. R. E. matris omnium fidelium, & magistrę fidei, reuerentiam atque neruum Ecclesiasticę disciplinæ, obedientiam scilicet, quæ fons est & origo omnium virtutum, sine qua facile vnusquisque infidelis esse conuincitur, nemo sanæ mentis ignorat. Nos igitur in pręmissis, vtpote grauissimis propensius (vt decet) procedere, nec non huiusmodi pesti, morboque canceroso, ne in agro Dominico, tanquam vepris nociua vlterius serpat, viā præcludere cupientes, habita super prędictis erroribus, & eorum singulis, diligenti trutinatione, discussione, ac districto examine, maturaque deliberatione, omnibusque rite pensatis, ac sæpius ventilatis, cum venerabilibus fratribus nostris, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ac Regularium Ordinum Prioribus, seu Ministris Generalibus, pluribusque alijs Sacræ Theologiæ, nec non vtriusque Iuris Professoribus, siue Magistris, & quidem peritissimis: reperimus eosdem errores, respectiue (vt præfertur) aut articulos, non esse catholicos, nec tanquam tales esse dogmatizandos, sed contra Ecclesiæ Catholicæ doctrinam siue traditionem, atque ab ea veram diuinarum scripturarum receptam interpretationem, cuius auctoritati,

tati,ita acquiescendum censuit Augustinus, vt dixerit se, Euangelio non fuisse crediturum, nisi Ecclesiæ Catholicæ interuenisset auctoritas. Nam ex eisdem erroribus, vel eorum aliquo vel aliquibus, palam sequitur, eandem Ecclesiam, quæ Spiritu Sancto regitur, errare & semper errasse. Quod est vtique contra illud, quod Christus Discipulis suis in Ascensione sua (vt in Sancto Euangelio Matthæi legitur) promisit dicens: Ego vobiscum sum vsque ad consumationem sæculi: nec non contra Sanctorum Patrum determinationes, Conciliorum quoque, & Summorum Pontificum expressas ordinationes, seu Canones, quibus non obtemperasse, omnium hæresum, & schismatum, teste Cypriano, fomes, & causa semper fuit.

§. 4. De eorumdem itaque venerabilium fratrum nostrorum consilio, & assensu ac omnium, & singulorum prædictorum, matura deliberatione prædicta, auctoritate omnipotentis Dei, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & nostra, præfatos omnes, & singulos articulos, seu errores tanquam (vt præmittitur) respectiuè hæreticos, aut scandalosos, aut falsos, aut piarum aurium offensiuos, vel simplicium mentium seductiuos, & veritati catholicæ obuiantes, damnamus, reprobamus, atque omnino reijcimus, ac pro damnatis, reprobatis, ac reiectis, ab omnibus vtriusque sexus Christi fideli-

delibus haberi debere, harum serie decernimus, & declaramus. Inhibentes in virtute Sanctæ obedientiæ, ac sub maioris excommunicationis latæ sententiæ; nec non quo ad Ecclesiasticas, & regulares personas, Episcopalium omnium etiam Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarũ Cathedralium Ecclesiarum, Monasteriorum quoque, & Prioratuum etiam conuentualium, & quarumcumque Dignitatum, aut beneficiorum Ecclesiasticorum, Sæcularium, aut quorumuis ordinum regularium, priuationis, & inhabilitatis ad illa, & alia inposterum obtinenda: quo verò ad Conuentus, Capitula, seu domos, aut pia loca, sæcularium vel regularium, etiam mendicantium, nec non vniuersitatis etiam studiorum generalium, quorumcumque priuilegiorum, indultorum, à Sede Apostolica, vel eius legatis, aut alias quomodolibet habitorum, vel obtentorum, cuiuscumque tenoris existant, nec non nominis, & potestatis studium generale tenendi, legendi, ac interpretandi quasuis scientias, & facultates, & inhabilitatis ad illa, & alia inposterum obtinenda; Prædicationis quoque officij, ac amissionis studij generalis, & omnium priuilegiorum eiusdẽ: quo verò ad sæculares eiusdem excommunicationis, nec non amissionis cuiuscumque emphyteusis, seu quorumcumque feudorum, tàm à Romana Ecclesia, quam alias quomodolibet obtentorum ac etiam inhabili-

bilitatis ad illa, & alia inposterum obtinenda, nec non quo ad omnes, & singulos superius nominatos, inhibitionis, Ecclesiasticæ sepulturæ, inhabilitatisque ad omnes, & singulos actus legitimos, infamiæ ac diffidationis, & criminis læsę Maiestatis, & hæreticorum, & fautorum eorumdem in iure expręssis pęnis, eo ipso & absque vlteriori declaratione, per omnes, & singulos supradictos, si (quod absit) contrafecerint, incurrendis, à quibus vigore cuiuscumque facultatis, & clausularum etiam in Confessionalibus, quibusuis personis sub quibusuis verborum formis contentarum, nisi à Romano Pont. vel alio ab eo ad id in specie facultatem habente, præterquam in mortis articulo constituti, absolui nequeant. Omnibus, & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus, tàm Laicis, quàm Clericis, Sæcularibus, & quorumuis Ordinum Regularibus, & aliis quibuscumque personis cuiuscumq; status, gradus, vel conditionis existant, & quacumque Ecclesiastica vel mundana præfulgeant dignitate, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium, Collegiatarum, ac inferiorum Ecclesiarum Prælatis, Clericis, aliisque personis Ecclesiasticis, Sæcularibus, & quorumuis ordinum etiam mendicantium regularibus, Abbatibus, Prioribus, vel Ministris Gene-

Generalibus, vel particularibus, fratribus, seù Religiosis exemptis, & non exemptis; studiorum quoque vniuersitatibus, sæcularibus, & quorumuis ordinum etiam mendicantium regularibus, nec non Regibus, Imperatori, Electoribus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Capitaneis, Conductoribus, Domicellis, omnibusque Officialibus, Iudicibus, Notarijs Ecclesiasticis, & Sæcularibus, Communitatibus, Vniuersitatibus, Potentatibus, Ciuitatibus, Castris, Terris, & Locis, seù eorum, vel earum Ciuibus, habitatoribus, & Incolis, ac quibusvis alijs personis Ecclesiasticis, vel Regularibus (vt præfertur) per vniuersum Orbem, vbicumque præsertim in Alemannia existentibus, vel pro tempore futuris, ne præfatos errores, aut eorum aliquos, peruersamque doctrinā huiusmodi asserere, affirmare, defendere, prædicare, aut illi quomodolibet publicè vel oculte, quouis quæsito ingenio vel colore, tacitè vel expresse fauere præsumant, &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo viij. Kal. Iulij Pontificatus Nostri Anno octauo.

Notæ

Notæ in Bullam Leonis Decimi contra Lutherum ex Cardinali Pallauicino.

§. 1.

Status Fidei in Europa.

HOc ſęculo 15. inquit Cardinalis Pallauicinus lib. 1. ſuæ Hiſtoriæ Concilij Trid. cap. 1. perdurauit adhuc ſciſma orientalium, Turcarum tyrannide punitum, in occidente verò fides orthodoxa pęne incontaminata viguit; ſuperfuerunt tamen minutiores quædam maculæ, quaſi imperceptibiles ignobilium hæreſum, quas exigua quædam multitudo ruſticorum, & idiotarũ ſectabatur, tanquam ſuperſtites reliquię veterum Valdenſium, & Huſſitarum; ſed inquit Cardinalis, de neglectis his ſcintillis id contigit, quod euenire ſolet in contagijs, in quibus ſuccidi centones, igne alias abſumendi, ſed neglecti, ſunt in cauſa, cur maiore cum furore peſtis iterum inopinatę repullulet.

§. 2.

Lutherus vnde motus ad ſuas nouitates faciendas?

Iulius Secundus; inquit Card. Pallauicinus

nus lib. 1. cap. 2. vt Basilicam S. Petri vetustate collabentem, non solum resarciret, sed etiam de nouo ædificaret, decreuit recurrere ad pia fidelium subsidia; vnde publicauit bullam, in qua rite dispositis concessit indulgentias, ijs omnibus, qui adiutrices porrigerent manus ad tam pium opus promouendum; huius bullæ prædicatorem, & cõmissarium Apostolicum deputauit fratrem Hieronymum Torniello, huius Cismontanæ familiæ Regularis Obseruantiæ Vicariũ Generalem Ordinis S. Francisci: post cuius mortem substituit fratrem Franciscum Zeno eiusdem Ordinis, & familiæ Vicarium Generalem anno 1510. quo similiter defuncto, anno 1512. subrogauit fratrem Timotheum à Luca, & Fratrem Alfonsum à Madrit, vtrumque eiusdem ordinis: nec defuit fidelium pietas in subministrandis eleemosynis, pro acquirendo tanto Thesauro, nec magnificentia Iulij, in construenda tam augusta fabrica.

Succedens Iulio, Leo Decimus, volens inceptum à prædecessore opus prosequi, & etiam ad obtinendum contra imminentes Turcas subsidium, edidit similiter bullam concedens Indulgentias, licentiam comedendi lacticinia diebus prohibitis, atque eligendi sibi confessarium, omnibus, qui sponte aliquid ad prædictos pios fines contribuerent, & eandem bullam iussit publicari in Germania, demandata cura Archiepiscopo,

& Electori Moguntino, & Guardiano Fratrum Minorum ibidem, sub finem Martij anni 1515.

Rursus anno 1517. dedit mandatum Alberto Archiepiscopo Moguntino S. R. E. Cardinali, publicandi Bullam in eundem finem, editam; cum autem fratres minores, ad instantiam sui prælati generalis, non amplius exercerent officium commissariatus, in hac causa, Cardinalis dedit curam P. Ioanni Tetzelio Ordinis Prædicatorum Viro docto, & benemerito, vtpotè qui paulo ante, amplam pecuniæ summam, ex commissione ei data, acquisiuit Fratribus Sanctæ Mariæ Ordinis Militaris Teutonici, vt se contra Turcas defenderent; hæc commissio Lutheri concitauit inuidiam, bilem mouit, & ambitiosi Spiritus furorem accendit.

§. 3.

De publicatione Bullæ Superius recensita, contra Lutheri hæreses.

Designato iam commissario, vt mox supradictum est Ioanne Tetzelio, Martinus Lutherus Islebij in Saxonia natus, Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Religiosus, Theologiæ, in Vniuersitate Vitenbergica, à Friderico Saxoniæ Duce Paulo ante fundata professor, natura ferox, Superbus, audax non potuit ferre, vt illa commissio alteri daretur,

retur, quam sibi, & suo ordini, totus igitur indignabundus scripsit Epistolam ad Albertum Archiepiscopum Moguntinum, criminans indulgentias, & ipso die, quo dictam Epistolam destinauit, nempe vltimo Octobris anni 1517. publicauit 95. assertiones, easque publice affixit, ac defendendas exposuit, Vitenbergæ, respondente sub eius præsidio Francisco Gūthero, vt habet Card. Pallauicinus lib. 1. cap. 8. mox anno sequenti composuit librum inscriptum resolutiones disputationum, de indulgentiarum virtute, in quo præfatas assertiones declarauit, iuxta suam nouam, & impiam opinionem, & illum ad Leonem Decimum direxit, erga quem miram simulauit humilitatem, fingens se reluctantem rapi in publicum, quo modo astutus versipellis satagebat, Pontificem fallere, & odium in aduersarios reijcere; ad hæc auræ popularis, curiosæ iuuentutis, Rhetorum, & poetarum fauorem sibi conciliauit, qui calamos in Lutheri Aduersarios strinxere; hinc Luthero augebatur authoritas, existimatio, fama; Maximilianus Cæsar, de grassante lue, monuit summum Pontificem, ille Lutheri causam committit Cardinali Caietano, tunc in Germania commoranti, Cardinalis habitis cum Luthero colloquijs, deprehendit eius hæreses, & hæreticum animum, cumque eum ad saniorē mentem reducere non posset, omnia significat Pontifici; interim Lutherus toto anno

18. & 19. sua praua dogmata diuulgat, propagat, complures tractus, ciuitates, & oppida inficit, Ioannes vero Eckius Romam appulsus anno 1520. miserabilem Germaniç, in pestilentissimum Lutheri contagium cęco impetu sese præcipitantis casum exponit Pontifex, initis antea aliquibus medijs, & modis vt Lutherum à proposito reuocaret, tandem eodem anno auditis dd. Cardinalibus, ac quampluribus primarijs Theologis, iuristis, ac ordinum generalibus, Superiorem bullam edidit, Lutherum, eiusquę assertiones damnauit; edita bulla, multi, eius dogmata abiurarunt, & opera flammis cōbusserunt; ipse pertinax nefandam doctrinā suam, sub specioso reformationis prætextu propagare perrexit, damnatus iterum vna cum Caluino in Tridentina Synodo, cuius definitiones hic subijcimus.



CA-

CAPVT XIV.

Complectens definitiones Sacri Concilij Tridentini, in plura alia capita, & Sessiones diuisum.



Essio 4. De Authoritate, & Canone totius Sacræ Scripturæ, eiusdemque vulgata authentica editione, interpretatione, ac impressione, sicut & aliorum librorum de rebus sacris.

Sess. 5. De peccato originali singulorum Hominum naturali generatione ex Adamo procedentium, eiusque vera, ac integra per Baptismum remissione; itaut concupiscentia in baptizatis nullam habeat rationem peccati: sola ab hoc decreto excepta Beata, & Immaculata Virgine Dei Genitrice Maria.

CANONES

De peccato originali.

1 SI quis non confitetur primum Hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus statim Sanctitatem, & Iustitiam, in qua constitutus fuerat amisisse, incurrisseque per offensam præuaricationis huiusmodi iram, & in-

dignationem Dei, atque adeo mortem, quam anteà illi comminatus fuerat Deus, & cùm morte captiuitatem sub eius potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est Diaboli, totumque Adam per illam præuaricationis offensam, secundùm corpus, & animam in deterius commutatum fuisse, anathema sit.

2 Si quis Adæ præuaricationẽ sibi soli, & non eius propagini asserit nocuisse, & acceptam à Deo Sanctitatem, & Iustitiam, quàm perdidit sibi soli, & non nobis etiam eum perdidisse; aut inquinatum illum, per inobedientiæ peccatum mortem, & pęnas corporis tantùm in omne genus humanum transfudisse, non autem, & peccatum, quod mors est animæ; anathema sit: cum contradicat Apostolo dicenti: Per vnum Hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors: & ità in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.

3 Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine vnum est, & propagatione, non imitatione transfusum omnibus inest, vnicuique proprium, vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedium asserit tolli, quã per meritum vnius mediatoris Domini nostri Iesu Christi, qui nos Deo reconciliauit in sanguine suo, factus nobis iustitia, sanctificatio, & redemptio; aut negat ipsum Christi Iesu meritum per Baptismi Sacramen-

men-

mentum in forma Ecclesiæ rite collatum tam adultis, quam paruulis applicari; anathema sit: quia non est aliud nomen sub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat saluos nos fieri: vnde illa vox, Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi. Et illa, Quicumque baptizati estis, Christum induistis.

4 Si quis paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, etiam si fuerint à baptizatis parentibus orti, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lauacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam; vnde fit consequens, vt in eis forma baptismatis, in remissionem peccatorum, non vera, sed falsa intelligatur: anathema sit; Quoniam non alitèr intelligendum est, id quod dixit Apostolus; Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors; & ità in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt: nisi quemadmodum Ecclesia Catholica vbique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei ex traditione Apostolorum etiam paruuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideò in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua,

& Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.

5 Si quis per Domini nostri Iesu Christi gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum, id quod veram, & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantùm radi, aut non imputari; anathema sit. In renatis enim nihil odit Deus: quia nihil est damnationis iis, qui verè consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem; qui non secundum carnem ambulant, sed veterem hominem exuentes, & nouum, qui secundum Deum creatus est, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, ità vt nihil prorsus eos ab ingressu Cęli remoretur. Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc Sancta Synodus fatetur, & sentit: quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed vtiliter per Christi gratiam repugnantibus, non valet: quinimò qui legitimè certauerit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam, nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè, & propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.

1 De-

1 Declarat tamen hæc ipsa Sancta Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, Beatam, & Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem; sed obseruandas esse Constitutiones felicis recordationis Sixti Papæ IV. sub pęnis in eisdē Constitutionibus contentis, quas innouat.

SESSIONE VI.

De iustificatione per 16. cap. & 33. Canones.

Cap. 1. De impotentia naturæ lapsæ.

Liberum arbitrium minimè extinctum est, licet viribus attenuatum, & inclinatum.

Cap. 2. De necessitate Christi Redemptoris.

Cap. 3. De applicatione Meritorum Christi. Nisi Homines ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur iniusti.

Cap. 4. Iustificatio, scilicet prima, est translatio impij, ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adę, in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Iesum Christum, quę post Euangelium promulgatum, sine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non potest.

Cap. 5. De necessaria præparatione adultorum, ad iustificationem per gratiam excitantem, & adiuuantem, saluo consensu, & cooperatione eorum.

Cap. 6. De dispositione ad iustificationem, per timorem Iustitiæ Diuinæ, spem misericordiæ, & denique per dilectionem

Dei,

Dei, vt fontis omnis Iustitiæ.

Cap. 7. De iustificatione interna per infusionem, ac susceptionem voluntariam gratiæ, donorum, & virtutum fidei, spei, & charitatis. Et de causis iustificationis.

Hæc iustificatio non est sola peccatorum remissio; sed & sanctificatio, & renouatio interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum. Infrà, charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inhæret: vnde in ipsa iustificatione, cum remissione pecatorum, hæc omnia simul infusa accipit Homo, fidem, spem, & charitatem. Supra Causæ huius iustificationis sunt; finalis quidem, gloria Dei, & Christi, ac vita æterna: efficiens verò, misericors Deus: meritoria, Iesus Christus: Instrumentalis, Sacramentum Baptismi: formalis, Iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit &c.

Cap. 8. De iustificatione per fidem, tanquã fundamentum: gratis autem; quia sine vllo nostro meritò præcedente.

Cap. 9. Contra vanam hæreticorum fiduciam, & certitudinem remissionis peccatorum.

Cap. 10. De incremento iustificationis per bona opera meritoria.

Cap. 11. De obseruantia Mandatorum Dei, eiusque necessitate, & possibilitate. Nam Deus impossibilia non iubet: sed iuben-

bendo monet, & facere, quod possis; & petere, quod non possis, & adiuuat, vt possis. Infrà. Deus sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur. Infrà. Constat eos Orthodoxæ religionis doctrinæ aduersari, qui dicunt iustos, in omni bono opere saltèm venialitèr peccare, aut quod intolerabilius est, pœnas æternas mereri: atque etiam eos, qui statuunt in omnibus operibus iustos peccare, si cum hoc, vt in primis glorificetur Deus, mercedem quoq; intuentur æternam.

Cap. 12. Contra temerariam præsumptionem de prædestinatione.

Cap. 13. Contra eandem præsumptionem de bono perseuerantiæ.

Cap. 14. De iustificatione peccatorum post Baptismum, per Sacramentum Pœnitentiæ saltem in voto.

Cap. 15. De amissione fidei, per solum peccatum infidelitatis, aut per quodlibet peccatum mortale. +gratiæ

Cap. 16. De fructu iustificationis idest De meritis bonorum operum, & vera ratione merendi vitam æternam.

Quæ iustitia nostra dicitur, qui per eam nobis inhærentem iustificamur: illa eadem Dei est, quia à Deo nobis infunditur per Christi merita,

Infra. Absit tamen, vt Christianus Homo in se ipso, vel confidat, vel glorierur, & non in Domino: cuius tanta est erga omnes

nes homines bonitas, vt eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona.

CANONES INTEGRI.

1 SI quis dixerit hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam facit, absque diuina per Iesum Christum gratia, posse iustificari coram Deo: Anathema sit.

2 Si quis dixerit ad hoc solum, diuinam gratiam per Christum Iesum dari, vt facilius homo iustè viuere, ac vitam æternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium, sine gratia vtrumque, sed ægrè tamen, & difficulter possit; Anathema sit.

3 Si quis dixerit sine præueniente Spiritus Sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pęnitere posse, sicut opportet, vt ei iustificationis gratia conferatur; Anathema sit.

4 Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil operari, assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quoad obtinendam iustificationis gratiam se disponat, ac præparet, neque posse dissētire si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omninò agere, mereque passiuè se habere, anathema sit.

5 Si quis liberum hominis arbitrium

post

post Adæ peccatum amissum, & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, immò titulum sine re, figmentum denique à Satana inuectum in Ecclesiam, anathema sit.

6 Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera itaut bona, Deum operari, non permissiue solum, sed etiam propriè, & per se, adeout sit proprium eius opus, non minus proditio Iudæ, quam vocatio Pauli, anathema sit.

7 Si quis dixerit opera omnia, quæ ante iustificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, verè esse peccata, vel odium Dei mereri, aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tantò eum grauius peccare, anathema sit.

8 Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere, anathema sit.

9 Si quis dixerit, sola fide impium iustificari, ità vt intelligat nihil aliud requiri, quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse, eum suæ voluntatis motu præparari, atque disponi; Anathema sit.

10 Si quis dixerit homines, sine Christi iustitia, per quam nobis meruit, iustificari, aut per eam ipsam formaliter iustos esse; Anathema sit.

Si

11 Si quis dixerit homines iustificari, vel sola imputatione Iustitię Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæręat; aut eam gratiam, qua iustificamur, esse tantum fauorem Dei; Anathema sit.

12 Si quis dixerit fidem iustificantem, nihil aliud esse, quam fiduciam diuinę misericordiæ peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua iustificamur, Anathema sit.

13 Si quis dixerit omni homini ad remissionem peccatorum assequendam, necessarium esse, vt credat certò, & absque vlla hæsitatione propriæ infirmitatis, & indispositionis peccata sibi esse remissa; Anathema sit.

14 Si quis dixerit hominem à peccatis absolui, ac iustificari ex eo, quod se absolui, ac iustificari certò credat, aut neminem verè esse iustificatum, nisi qui credat se esse iustificatum, & hac sola fide absolutionem, & iustificationem perfici; Anathema sit.

15 Si quis dixerit hominem renatum, & iustificatum teneri, ex fide ad credendum, se certò esse in numero prædestinatorum, anathema sit.

16 Si quis magnum illud vsque in finem perseuerantiæ donum, se certo habiturum absoluta, & infallibili certitudine dixerit; nisi hoc ex speciali reuelatione didicerit; Anathema sit. Si

17 Si quis iustificationis gratiam, non nisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit; reliquos verò omnes, qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, vtpotè diuina potestate prædestinatos ad malum; Anathema sit.

18 Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam iustificato, & sub gratia constituto, esse ad obseruandum impossibilia; Anathema sit.

19 Si quis dixerit, nihil præceptum esse in Euangelio, præter fidem, cætera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera, aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos; Anathema sit,

20 Si quis hominem iustificatum, & quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad obseruantiam mandatorum Dei, & Ecclesiæ, sed tantùm ad credendum; quasi verò Euangelium sit nuda,& absoluta promissio vitæ æternę,sine conditione obseruationis mandatorum; Anathema sit.

21 Si quis dixerit Christum Iesum à Deo hominibus datum fuisse, vt redemptorē cui fidant,non etiam, vt legislatorem, cui obediant; Anathema sit.

22 Si quis dixerit iustificatum, vel sine speciali auxilio Dei,in accepta Iustitia perseuerare posse, vel cum eo non posse; Anathema sit.

23 Si quis hominem semel iustificatum di-

dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere; atquè ideo eum, qui labitur, & peccat nunquam verè fuisse iustificatum, aut contra, posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei priuilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia; Anathema sit.

24 Si quis dixerit, iustitiam acceptam, non conseruari, atque etiam augeri coram Deo per bona opera: sed opera ipsa fructus solummodò, & signa esse iustificationis adeptę, non autem ipsius augendæ causam; Anathema sit.

25 Si quis in quolibet bono opere iustum saltem venialitèr peccare dixerit, aut quod intolerabilius est, mortalitèr, atque ideò pœnas ęternas mereri; tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem; Anathema sit.

26 Si quis dixerit iustos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare, & sperare æternam retributionē à Deo per eius misericordiam, & Iesu Christi merita, si benè agendo, & Diuina mandata custodiendo vsque in finem perseuerauerint, anathema sit.

27 Si quis dixerit nullum esse mortale peccatum, nisi infidelitatis; aut nullo alio, quantumuis graui, & enormi, præterquam infidelitatis peccato semel acceptam gratiam amitti, anathema sit.

Si

28 Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia simul, & fidem semper amitti; aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viua, aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum, anathema sit.

29 Si quis dixerit eum, qui post baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere; aut posse quidem, sed sola fide amissam iustitiam recuperare sine Sacramẽto Pœnitentiæ, prout Sancta Romana, & Vniuersalis Ecclesia, à Christo Domino, & eius Apostolis edocta, hucusque professa est, seruauit, & docuit, anathema sit.

30 Si quis post acceptam iustificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, vt nullus remaneat reatus pęnæ temporalis exoluendæ, vel in hoc sæculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad Regna Cęlorum aditus patere possit, anathema sit.

31 Si quis dixerit, iustificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis benè operaratur, anathema sit.

32 Si quis dixerit, hominis iustificati bona opera ita esse dona Dei, vt non sint etiam bona ipsius iustificati merita; aut ipsum iustificatum bonis operibus, quæ ab eo, per Dei gratiam, & Iesu Christi meritum, cuius viuum membrum est, fiunt, non verò mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius

vitæ æternę si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augumentum, anathema sit.

33 Si quis dixerit per hanc doctrinam Catholicam de iustificatione, à Sancta Synodo hoc præsenti decreto expressam, aliqua ex parte gloriæ Dei, vel meritis Iesu Christi Domini Nostri derogari, & non potiùs veritatem fidei nostræ, Dei denique, ac Christi Iesu gloriam illustrari, anathema sit.

SESSIONE VII.

Canones de Sacramentis in genere.

1 SI quis dixerit Sacramenta nouæ Legis non fuisse omnia à Iesu Christo Domino nostro instituta; aut esse plura, vel pauciora, quàm septem, videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pęnitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse verè, & propriè Sacramentum, anathema sit.

2 Si quis dixerit ea ipsa nouæ Legis Sacramenta, à Sacramentis antiquæ Legis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, & alij ritus externi, anathema sit.

3 Si quis dixerit hæc septem Sacramenta ita esse inter se paria, vt nulla ratione, aliud sit alio digniùs, anathema sit.

4 Si

4 Si quis dixerit Sacramenta nouæ Legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, & sine eis, aut eorum voto, per solam fidem, homines à Deo gratiam iustificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint, anathema sit.

5 Si quis dixerit hæc Sacramenta propter solam fidem nutriendam, instituta fuisse, anathema sit.

6 Si quis dixerit, Sacramenta nouæ legis, non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem nō conferre; quasi signa tantùm externa sint acceptæ per fidem gratiæ, vel iustitiæ, & notæ quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit.

7 Si quis dixerit, per ipsa nouæ Legis Sacramenta, ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem diuinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.

8 Si quis dixerit non dari gratiam per huiusmodi Sacramenta semper, & omnibus quantùm est ex parte Dei, etiam si ritè ea suscipiant, sed aliquando, & aliquibus, anathema sit.

9 Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale, & indelebile, vnde ea iterari non possunt, anathema sit.

10 Si quis dixerit Christianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis administrā-dis habere potestatem, anathema sit.

11 Si quis dixerit in Ministris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt non requiri intentionem, saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit.

12 Si quis dixerit Ministrum in peccato mortali existentem, modò omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, seruauerit non conficere, aut conferre Sacramentum, anathema sit.

13 Si quis dixerit, receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi cō-suetos, aut contemni, aut sine peccato à Ministris pro libitu omitti, aut in nouos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.

CANONES

De Baptismo.

1 SI quis dixerit Baptismum Ioannis habuisse eandem vim, cùm baptismo Christi, anathema sit.

2 Si quis dixerit aquam veram, & naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideò verba illa Domini nostri Iesu Christi; Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu

ritu Sancto, ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit.

3 Si quis dixerit in Ecclesia Romana, quæ omnium Ecclesiarum mater est, & Magistra nõ esse veram de baptismi Sacramento doctrinam, anathema sit.

4 Si quis dixerit Baptismum, qui etiam datur ab Hæreticis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum baptismum, anathema sit.

5 Si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem, anathema sit.

6 Si quis dixerit, Baptizatum non posse, etiamsi velit gratiam amittere, quantumcumque peccet, nisi nolit credere, anathema sit.

7 Si quis dixerit, Baptizatos per Baptismum ipsum solius tantùm fidei debitores fieri, non autem vniuersæ Legis Christi seruandæ, anathema sit.

8 Si quis dixerit, Baptizatos liberos esse ab omnibus Sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta, vel tradita sunt, itaut ea obseruare non teneantur, nisi se sua spontè illis submittere voluerint, anathema sit.

9 Si quis dixerit, ita reuocandos esse homines ad baptismi suscepti memoriam, vt vota omnia, quæ post baptismum fiunt, vi promissionis in baptismo ipso iam factæ, irrita esse intelligant, quasi per ea, & fidei,

quam professi sunt detrahatur, & ipsi baptismo, anathema sit.

10 Si quis dixerit, peccata omnia, quæ post baptismum fiunt, sola recordatione, & fide suscepti baptismi, vel dimitti, vel venialia fieri, anathema sit.

11 Si quis dixerit, verum, & ritè collatum baptismum iterandum esse illi, qui apud infideles fidem Christi negauerit, cum ad pœnitentiam conuertitur, anathema sit.

12 Si quis dixerit, neminem esse baptizandum, nisi ea ætate, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo, anathema sit.

13 Si quis dixerit, paruulos, eò quod actum credendi non habent, suscepto baptismo inter fideles computandos non esse, ac propterea cùm ad annos discretionis peruenerint, esse rebaptizandos, aut præstare omitti eorum baptisma, quàm eos, non actu proprio credentes baptizari, in sola fide Ecclesiæ, anathema sit.

14 Si quis dixerit, huiusmodi paruulos baptizatos, cùm adoleuerint interrogandos esse, an ratum habere velint; quod Patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt, & vbi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos, nec alia interim pœna ad Christianam vitam cogendos, nisi vt ab Eucharistiæ, aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscat, anathema sit.

C A-

Digitized by Google

CANONES

De Confirmatione.

1 SI quis dixerit Confirmationem baptizatorum otiosam cęremoniam esse, & non potiùs verum, & proprium Sacramentum: aut olim nihil aliud fuisse, quã cathechesim quandam, qua adolescentiæ proximi, fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant, anathema sit.

2 *S*i quis dixerit, iniurios esse Spiritui Sancto eos, qui sacro Cõfirmationis Chrismati virtutem aliquam tribuunt, anathema sit.

3 Si quis dixerit Sanctæ Confirmationis ordinarium Ministrum, non esse solum Episcopum, sed quemuis simplicem Sacerdotē, anathema sit.

SESSIONE XIII.

De Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento.

Cap. 1. De institutione huius Sacramenti, & vera, ac reali in eo præsentia Corporis, & Sanguinis Christi post consecrationem panis, & vini.

Cap. 2. De fine, & fructu huius Sacramenti.

Cap. 3. De eius excellentia super alia Sacramenta.

Cap.4. De transubstantiatione panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Christi sub hoc Sacramento.
Cap.5. De cultu, & veneratione huius Sacramenti.
Cap.6. De asseruatione huius Sacramenti, & delatione ad infirmos,
Cap.7. De pręparatione ad Sacram Communionem huius Sacramenti.
Cap.8. De Communione spirituali tantùm, Sacramentali tantùm, & Spiritali, ac Sacramentali simul.

CANONES.

1 SI quis negauerit, in Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento contineri verè, & realiter, & substantialiter Corpus, & sanguinem, vnà cum Anima, & Diuinitate Domini nostri Iesu Christi, ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodò esse in eo, vt in signo, vel figura, aut virtute, anathema sit.

2 Si quis dixerit, in Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substātiam panis, & vini, vnà cum Corpore, & Sanguine Domini nostri Iesu Christi, negaueritque mirabilem illam, & singularem conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini, quam quidem conuersionem Catho-

lica Ecclesia aptissimè transubstantiationem appellat, anathema sit.

3 Si quis negauerit, in Venerabili Sacramento Eucharistiæ sub vnaquaque specie, & sub singulis speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri, anathema sit.

4 Si quis dixerit, peracta consecratione in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse Corpus, & Sanguinem Domini Nostri Iesu Christi, sed tantùm in vsu, dum sumitur, non autem ante, vel post, & in hostijs, seù particulis consecratis, quæ post communionem reseruantur, vel supersunt non remanere Corpus Domini, anathema sit.

5 Si quis dixerit vel præcipuum fructũ Sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus prouenire, anathema sit.

6 Si quis dixerit, in Sancto Eucharistiæ Sacramento, Christum Vnigenitum Dei filium non esse cultu latriæ, etiam externo adorandum, atque ideò nec festiua peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus secundùm laudabilem, & vniuersalem Ecclesiæ Sanctæ ritum, & consuetudinem, solemnitèr circumgestandum, vel non publicè, vt adoretur, populo proponendum, & eius adoratores esse idololatras, anathema sit.

7 Si quis dixerit, non licere Sacram Eu-

Eucharistiam in Sacrario reseruari, sed statim post consecrationem adstātibus necessariò distribuendam, aut non licere, vt illa ad infirmos honorificè deferatur, anathema sit.

8 Si quis dixerit, Christum in Eucharistia exhibitum, spiritualitèr tantùm manducari, & non etiam sacramentalitèr, ac realitèr, anathema sit.

9 Si quis negauerit omnes, & singulos Christifideles vtriusque sexus, cùm ad annos discretionis peruenerint, teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandū, iuxtà præceptum Sanctæ Matris Ecclesiæ, anathema sit.

10 Si quis dixerit non licere Sacerdoti Celebranti, seipsum communicare, anathema sit.

11 Si quis dixerit solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, anathema sit. Et ne tantum Sacramentum indignè, atque ideò in mortem, & condemnationem sumatur: statuit, atque declarat ipsa Sancta Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis grauat quantumcumque, etiam se contritos existiment, habita copia Confessoris, necessariò præmittendam esse Confessionem Sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinacitèr asserere, seù etiam publicè disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat.

SES-

SESSIONE XIV.

De Sacramento Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis.

Cap. 1. De necessitate, & institutione Sacramenti Pœnitentiæ.
Cap. 2. De differentia Sacramenti Pœnitentiæ, à Baptismo.
Cap. 3. De forma absolutionis, & triplici quasi materia, seu partibus, ac effectu huius Sacramenti.
Cap. 4. De Contritione.

In hoc capite declaratur efficacia Contritionis, ad assequendam iustificationem extrà Sacramentum, declaratur item vis contritionis imperfectæ, seu attritionis, cùm Sacramento, in ordine ad eandē iustificationē acquirendā; vnde sic procedit Synodus, contritio, quæ primū locū inter dictos Pęnitentis actus habet, animi dolor, ac detestatio est de peccato commisso. Fuit autem quouis tempore, ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius, & in homine post Baptismum lapso; ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cùm fiducia Diuinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua coniunctus sit, quæ ad ritè suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur. Declarat igitur Sancta Synodus hanc contritionem, non solùm cessationem

à pec-

à peccato, & vitæ nouæ propositum, & incohationem, sed veteris etiam odium continere, iuxtà illud: Proijcite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus præuaricati estis, & facite vobis cor nouum, & spiritum nouum. Et certè, qui illos Sanctorum clamores considerauerit, Tibi soli peccaui, & malum coram te feci: laboraui in gemitu meo: lauabo per singulas noctes lectum meum: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ, & alios huius generis: facilè intelliget eos ex vehementi quodam ante actæ vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatione manasse. Docet præterea, & si contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare; priusquàm hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. Illam verò contritionem imperfectam; quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ; declarat, non solùm, non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verùm etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm mouentis, quo pęnitens adiutus vitam sibi ad iustitiam parat. Et quamuis sine Sacramen-

men-

mento pœnitentiæ,per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat;tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit. Hoc enim timore vtilitèr concussi Niniuitæ, ad Ionæ prædicationem plenam terroribus, pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Domino impetrarunt. Quamobrem falsó quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quasi tradiderint Sacramentum Pœnitentiæ, absque bono motu suscipientium gratiam conferre; quod nunquam Ecclesia Dei docuit, neç sensit; sed & falsò docent contritionem esse extortam, & coactam, non liberam, & voluntariam.

Cap. 5. De Confessione.

Cap. 6. De Ministro huius Sacramenti, & absolutione.

Cap. 7. De Casuum reseruatione.

Cap. 8. De necessitate, fructu, & proportione satisfactionis.

Cap. 9. De operibus satisfactoriis.

De Sacramento Extremæ Vnctionis.

Cap. 1. De eius institutione.

Cap. 2. De eius fructu, ac effectu.

Cap. 3. De eius Ministro, ac tempore, quo dari debet.

CA-

CANONES

De Sacramento Pœnitentiæ.

1 SI quis dixerit in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse verè, & propriè Sacramentum, pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, à Christo Domino nostro institutum, Anathema sit.

2 Si quis Sacramenta confundens, ipsum Baptismum, Pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint, atque ideò pœnitentiam non rectè secundam post naufragium tabulam appellari; anathema sit.

3 Si quis dixerit, verba illa Domini Saluatoris, Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt; non esse intelligenda de potestate retinendi & remitti peccata in Sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica, ab initio semper intellexit; detorserit autem contra institutionem huius Sacramenti, ad auctoritatem prædicandi Euangelium; Anathema sit.

4 Si quis negauerit ad integram, & perfectam peccatorum remissionē, requiri tres actus in Pœnitente, quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet contritionem, confessionem, & satisfactionem, quæ tres

Pœ-

Pœnitentiæ partes dicuntur, aut dixerit duas tantùm esse pœnitentiæ partes terrores, scilicet incussos conscientiæ agnito peccato, & fidem conceptam ex Euangelio, vel absolutionem, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata, Anathema sit.

5 Si quis dixerit eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum grauitatē, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum, & vtilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, demùm illam esse dolorem coactum, & non liberum, ac voluntarium: Anathema sit.

6 Si quis negauerit Confessionem Sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse Iure diuino; aut dixerit modum secretè confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper obseruauit, & obseruat, alienum esse ab institutione, & mandato Christi, & inuentum esse humanum: Anathema sit.

7 Si quis dixerit in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessariū non esse, Iure diuino, confiteri omnia, & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ sunt contra

duo

duo vltima Decalogi præcepta, & circumſtantias, quæ peccati ſpeciem mutant, ſed eam confeſſionem tantum eſſe vtilem ad erudiendum,& conſolandum Pęnitentem,& olim obſeruatam fuiſſe tãtum ad ſatisfactionem Canonicam imponendam, aut dixerit eos, qui omnia peccata confiteri ſtudent, nihil relinquere velle Diuinæ miſericordiæ ignoſcendum, aut demùm non licere confiteri peccata venialia. Anathema ſit.

8 Si quis dixerit confeſſionem omnium peccatorum, qualem Eccleſia ſeruat, eſſe impoſſibilem, & traditionem humanam à Pijs abolendam; aut ad eam non teneri omnes, & ſingulos vtriuſque ſexus Chriſti fideles, iuxtà Magni Concilii Lateranenſis Conſtitutionem, ſemel in anno; & ob id ſuadendum eſſe Chriſti fidelibus, vt non confiteantur tempore Quadrageſimę; Anathema ſit.

9 Si quis dixerit abſolutionem ſacramẽtalem Sacerdotis,non eſſe actum Iudicialem, ſed nudum miniſterium pronunciandi, & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti, modo tantùm credat ſe eſſe abſolutum, aut Sacerdos, non ſeriò, ſed ioco abſoluat, aut dixerit non requiri confeſſionem Pęnitentis, vt Sacerdos eum abſoluere poſſit: Anathema ſit.

10 Si quis dixerit Sacerdotes,qui in peccato mortali ſunt, poteſtatem ligandi, & ſoluendi non habere, aut non ſolos Sacerdo-

tes esse Ministros absolutionis, sed omnibus, & singulis Christi fidelibus esse dictum.

Matth. 16. Quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata, & in Cælo, & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta, & in Cęlo; Et Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt: quorum verborum virtute, quilibet absoluere possit peccata, publica quidem per correptionem dumtaxat, si correptus acquiuerit: secreta verò per spontaneam confessionem; Anathema sit.

11 Si quis dixerit Episcopos non habere Ius reseruandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideó casuum reseruationem, non prohibere quominus Sacerdos à reseruatis verè absoluat: Anathema sit.

12 Si quis dixerit totam pęnam simul cum culpa remitti semper à Deo, satisfactionemque Pęnitentium non esse aliam, quam fidem, quâ apprehendunt Christum pro eis satisfecisse; Anathema sit.

13 Si quis dixerit, pro peccatis, quoad pęnam temporalem, minimè Deo per Christi merita satisfieri pęnis ab eo inflictis, & papatienter toleratis, vel à Sacerdote iniunctis, sed neque spontè susceptis, & ieiunijs, orationibus, eleemosinis, vel alijs etiam pietatis operibus, atque ideò optimam pęnitentiam esse tantum nouam vitam: Anathema sit.

14 Si quis dixerit satisfactiones, quibus Pęnitentes per Christum Iesum peccata redimunt, non esse Cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, & verum Dei cultum, atquè ipsum Beneficium mortis Christi obscurantes; Anathema sit.

15 Si quis dixerit Claues Ecclesiæ esse datas tantum ad soluendum, non etiàm ad ligandum, & propterea Sacerdotes dùm imponunt pœnas confitentibus, agere contra fidem clauium, & contrà institutionem Christi, & fictionem esse, quod virtute Clauium sublata pęna æterna, pęna temporalis plerumque exoluenda remaneat; Anathema sit.

CANONES

De Sacramento Extremæ Vnctionis.

1 SI quis dixerit extremam vnctionem non esse vere, & propriè Sacramentū à Christo Domino Nostro Institutum, & à Beato Iacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum à Patribus, aut figmentum humanum, Anhathema sit.

2 Si quis dixerit Sacram Infirmorum vnctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleuiare infirmos; sed iam cessasse quasi olim tantum fuerit gratia curationum Anathema sit.

3 Si quis dixerit Extremæ Vnctionis ritum,

tum, & vſum, quem obſeruat Sancta Romana Eccleſia, repugnare Sententię Beati Iacobi Apoſtoli, ideoque eum mutandum, poſſeque à Chriſtianis, abſque peccato contemni, Anathema ſit.

4 Si quis dixerit Presbyteros Eccleſiæ, quos Beatus Iacobus adducendos eſſe ad infirmum inungendum hortatur, non eſſe Sacerdotes ab Epiſcopo ordinatos, ſed ętate ſeniores in quauis communitate, ob idque proprium Extremæ Vnctionis Miniſtrum non eſſe ſolum Sacerdotem, Anathema ſit.

SESSIONE XXI.

De Sacra Communione ſub vtraque, vel altera ſpecie non neceſſaria antè vſum rationis.

Cap. 1. De obligatione ſolius Sacerdotis Sacrificantis ad communionem ſub vtraque ſpecie.

Cap 2. De poteſtate Eccleſiæ diſpenſandi hoc Sacramentum ſub vtraque, vel altera ſpecie.

Cap. 3. De veritate huius Sacramenti, & totius Corporis, & Sanguinis Chriſti ſub qualibet ſpecię, abſque vllo gratiæ detrimento.

Cap. 4. De nulla obligatione aut neceſſitate huius Sacramenti ante vſum rationis.

CANONES.

1 SI quis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis omnes, & singulos Christi fideles, vtramque speciem Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere; Anathema sit.

2 Si quis dixerit, Sanctam Ecclesiam Catholicam non iustis causis, & rationibus adductam fuisse, vt laicos, atque etiam Clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse; Anathema sit.

3 Si quis negauerit totum, & integrum Christum, omnium gratiarum fontem, & autorem sub vna panis specie sumi, quia vt quidam falso asserunt; non secundum ipsius Christi institutionem sub vtraq; specie sumatur; Anathema sit.

4 Si quis dixerit, paruulis, antequam ad annos discretionis peruenerint, necessariam esse Eucharistiæ Communionem, Anathema sit.

Duos verò articulos aliàs propositos nondum tamen excussos, videlicet An rationes, quibus Sancta Catholica Ecclesia adducta fuit, vt communicaret laicos, atque etiam non celebrantes Sacerdotes, sub vna tantum panis specie, ità sint retinendæ, vt nulla ratione Calicis vsus cuiquam sit permittendus: Et, An si honestis, & Christia-

næ

næ charitati consentaneis rationibus concedendus alicui, vel Nationi, vel Regno Calicis vsus videatur, sub aliquibus conditionibus concedendus sit; & quænàm sint illæ: Eadem Sancta Synodus in aliud tempus, oblata sibi quamprimum occasione examinandos atque definiendos reseruat.

SESSIONE XXII.

De Sacrosancto Missæ Sacrificio.

Cap. 1. Esse verum, & propriè dictum Sacrificium Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini.

Cap. 2. Hoc Sacrificio Christi incruento applicari fructus illius incruenti, fidelibus nō tantum viuis, sed etiàm defunctis in gratia.

Cap. 3. Celebrari quidem etiam in honorem, & memoriam Sanctorum; non tamèn illis, sed soli Deo Sacrificari.

Cap 4. Sacrum Canonem Missę non tantum esse purum ab omni errore, sed etiàm piæ institutionis, ac traditionis.

Cap. 5. De Ceremonijs huius Sacrificij, earumque fine, ac fructu.

Cap. 6. De Consulta, & commendata omnibus præsentibus Communione etiàm Sacramentali, sub Sacrificio Missæ, licito tamen, & valido Sacrificio, in quo solus Sacerdos communicat.

Cap.7. De Miscenda aqua vino in Calice consecrando.

Cap.8. De non celebranda Missa vulgari lingua: sed exponendis eius Mysteriis per frequentem prędicationem sub Sacrificio.

Cap.9. Decernuntur Canones sequentes contra errores oppositos.

CANONES

De Sacrificio Missæ.

1 SI quis dixerit in Missa non offerri Deo verum, & proprium Sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quàm nobis Christum ad manducandum dari; Anhathema sit.

2 Si quis dixerit illis verbis. Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, vt ipsi, aliique Sacerdotes offerrent Corpus, & Sanguinem suum; Anathema sit.

3 Si quis dixerit, Missæ Sacrificium tantùm esse laudis aut gratiarum actionis, aut nudam commemorationē sacrificij in cruce peracti, non autèm propitiatorium, vel soli prodesse sumenti, neq; pro viuis, & defunctis, pro peccatis, pęnis, satisfactionibus, et alijs necessitatibus offerri debere: Anathema sit.

4 Si quis dixerit, blasphemiam irrogari Sanctissimo Christi Sacrificio in Cruce peracto per missæSacrificium, aut illi per hoc derogari; Anathema sit.

5. Si

5 Si quis dixerit, imposturam esse Missas celebrare in honorem Sanctorum,& pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit; Anathema sit.

6 Si quis dixerit, Canonem Missæ errores continere, ideoque abrogandum esse; Anathema sit.

7 Si quis dixerit, Cęremonias, vestes, & externa signa quibus in Missarum celebratione, Ecclesia Cattholica vtitur, irritabula impietatis esse, magis quam officia pietatis; Anathema sit.

8 Si quis dixerit, Missas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoquè abrogandas; Anathema sit.

9 Si quis dixerit Ecclesiæ Romanæ Ritum, quo submissa voce pars Canonis, & verba consecrationis proferuntur, damnandum esse,aut lingua tantum vulgari Missam celebrari debere,aut aquam non miscendam esse vino in Calice offerendo, & quod sit contra Christi Institutionem; Anathema sit.

SESSIONE XXIII.

De Sacramento Ordinis.

Cap. 1. De vero, & propriè dicto Sacerdotio, sicut, & Sacrificio nouæ legis cum potestate consecrandi, offerendi, & ministrandi Corpus, & Sanguinem Christi,nec

non peccata dimittendi, & retinendi.

Cap.2. De inferioribus Ordinibus in Ministerium Sacrificij.

Cap.3. De vera ratione Sacramenti, & collatione gratiæ per Sacram Ordinationem.

Cap.4. De Caractere Ordinis indelebili, & Ecclesiastica Hierarchia Iuris Diuini, inter Episcopos, Presbyteros, & inferiores Ecclesiæ Ministros.

CANONES.

1 SI quis dixerit, non esse in nouo Testamento Sacerdotium visibile, & externum, vel non esse potestatem aliquam consecrandi, & offerendi verum Corpus, & Sanguinem Domini, & peccata remittendi, & retinendi, sed officium tantum, & nudum ministerium prædicandi Euangelium, vel eos qui non prædicant, prorsus non esse Sacerdotes; Anathema sit.

2 Si quis dixerit præter Sacerdotium, nõ esse in Ecclesia Catholica alios Ordines, & maiores, & minores, per quos velut per gradus quosdam, in Sacerdotium tendatur; Anathema sit.

3 Si quis dixerit ordinem, siuè Sacram Ordinationem non esse verè, & propriè Sacramentum à Christo Domino Nostro Institutum, vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum à Viris rerum Ecclesiasticarum imperitis, aut esse ritum quendam

dam eligendi Ministros Verbi Dei, & Sacramentorum; Anathema sit.

4 Si quis dixerit per Sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proindè frustra Episcopos dicere. Accipè Spiritum Sanctum, aut per eam non imprimi characterem; vel eum qui Sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse; Anathema sit.

5 Si quis dixerit Sacram Vnctionem, quā Ecclesiā in Sacra Ordinatione vtitur, non tantum non requiri, sed contemnendā, & perniciosam esse similiter, & alias Ordinis Ceremonias; Anathema sit.

6 Si quis dixerit in Ecclesiā Catholica, non esse Hierarchiam Diuina Ordinatione Institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris; Anathema sit.

7 Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris Superiores, vel non habere potestatem confirmandi, & ordinandi, vel eam quam habent, illis esse cum Presbyteris cōmunem; vel ordines ab ipsis collatos sine Populi, vel potestatis secularis consensu, aut vocatione irritos esse, aut eos, qui nec ab Ecclesiastica, & Canonica potestate ritè ordinati, nec missi sunt sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi, & Sacramentorum Ministros; Anathema sit.

8 Si quis dixerit Episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos, & veros Episcopos, sed figmentum; Anathema sit.

SES-

SESSIONE XXIV.

De Sacramento Matrimonij.

De vinculo indissolubili Matrimonij inter Virum,& Vxorem ex institutione Dei ab Adamo pronunciata *Gen.* 2. & à Christo confirmata *Matth.* 19. Deque ei promerita, & collata à Christo efficacia gratiæ ad rationem veri Sacramenti nouæ legis.

CANONES.

1 SI quis dixerit Matrimonium non esse verè, & propriè vnum ex septem legis Euangelicæ Sacramentis à Christo Domino institutum; sed ab hominibus in Ecclesia inuentum, neque gratiam conferre; Anathema sit.

2 Si quis dixerit licere Christianis, plures simul habere vxores, & hoc nulla lege Diuina esse prohibitum; Anathema sit.

3 Si quis dixerit eos tantum consanguinitatis, & affinitatis gradus, qui leuitico exprimuntur, posse impedire matrimoniu m contrahendum, & dirimere contractum; nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, vt plures impediant, & dirimant; Anathema sit.

4 Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimen-

rimentia, vel in ijs constituendis errasse; Anathema sit.

5 Si quis dixerit, propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à coniuge; dissolui posse Matrimonij vinculum; Anathema sit.

6 Si quis dixerit Matrimonium ratum, non consummatum; per solemnem Religionis professionem alterius coniugum, nō dirimi; Anathema sit.

7 Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit,& docet iuxta Euangelicam,& Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum, Matrimonij vinculum non posse dissolui; & vtrumque vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero coniuge viuente, aliud matrimonium contrahere, mæcharique eū, qui dimissa Adultera, aliam duxit, & eam quæ dimisso adultero alij nupserit; Anathema sit.

8 Si quis dixerit Ecclesiam errare, cùm ob multas causas separationem intèr Coniuges quoad Thorum, seù quoad cohabitationem, ad certum incertumuè tempus fieri posse decernit; Anathema sit.

9 Si quis dixerit Clericos in Sacris Ordinibus Constitutos, vel Regulares, castitatem solemnitèr professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, & oppositum nil aliud esse, quam damnare

nare

SESSIONE XXIV.

De Sacramento Matrimonij.

De vinculo indiſſolubili Matrimonij inter Virum,& Vxorem ex inſtitutione Dei ab Adamo pronunciata *Gen.* 2. & à Chriſto confirmata *Matth.* 19. Deque ei promerita, & collata à Chriſto efficacia gratiæ ad rationem veri Sacramenti nouæ legis.

CANONES.

1 SI quis dixerit Matrimonium non eſſe verè, & propriè vnum ex ſeptem legis Euangelicæ Sacramentis à Chriſto Domino inſtitutum, ſed ab hominibus in Eccleſia inuentum, neque gratiam conferre; Anathema ſit.

2 Si quis dixerit licere Chriſtianis, plures ſimul habere vxores,& hoc nulla lege Diuina eſſe prohibitum; Anathema ſit.

3 Si quis dixerit eos tantum conſanguinitatis, & affinitatis gradus, qui leuitico exprimuntur, poſſe impedire matrimonium contrahendum,& dirimere contractum; nec poſſe Eccleſiam in nonnullis illorum diſpenſare, aut conſtituere, vt plures impediant, & dirimant; Anathema ſit.

4 Si quis dixerit Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta matrimonium dirimen-

rimentia, vel in ijs constituendis errasse; Anathema sit.

5 Si quis dixerit, propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à coniuge; dissolui posse Matrimonij vinculum; Anathema sit.

6 Si quis dixerit Matrimonium ratum; non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius coniugum, nõ dirimi; Anathema sit.

7 Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit,& docet iuxta Euangelicam,& Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum, Matrimonij vinculum non posse dissolui, & vtrumque vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero coniuge viuente, aliud matrimonium contrahere, mæcharique eũ, qui dimissa Adultera, aliam duxit, & eam quæ dimisso adultero alij nupserit; Anathema sit.

8 Si quis dixerit Ecclesiam errare, cùm ob multas causas separationem intèr Coniuges quoad Thorum, seù quoad cohabitationem, ad certum incertumuè tempus fieri posse decernit; Anathema sit.

9 Si quis dixerit Clericos in Sacris Ordinibus Constitutos, vel Regulares, castitatem solemnitèr professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, & oppositum nil aliud esse, quam dam-

nare

nare Matrimonium, posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam vouerint, habere donum; Anathema sit. Cùm Deus id rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id, quod possumus, tentari.

10 Si quis dixerit statum coniugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel cælibatus, & non esse melius, ac beatius manere in virginitate, aut cælibatu, quam iungi matrimonio. Anathema sit.

11 Si quis dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum, certis anni temporibus, superstitutionem esse tyrannicam ab Etnicorum superstitione profectam, aut benedictiones, & alias Cærimonias, quibus Ecclesia in illis vtitur, damnauerit: Anathema sit.

12 Si quis dixerit causas matrimoniales, non spectare ad Iudices Ecclesiasticos: anathema sit.

SESSIONE XXV.

De Purgatorio.

CVm Catholica Ecclesia Spiritu Sancto edocta, ex sacris litteris, & antiqua Patrum traditione, in Sacris Concilijs, & nouissimè in hac Oecumenica Synodo docuerit Purgatorium esse, animasque ibi detentas, fidelium suffragijs, potissimum verò acceptabili

bili Altaris sacrificio iuuari: Præcipit Sancta Synodus Episcopis, vt sanam de Purgatorio doctrinam à Sanctis Patribus,& Sacris Concilijs traditam, à Christi fidelibus credi, teneri, doceri, & vbique prædicari, diligenter studeant. Apud rudem verò Plebem, difficiliores, ac subtiliores quæstiones, quæque ad ædificationem non faciunt, & ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio, à popularibus concionibus secludantur. Incerta item, vel quæ specie falsi laborant euulgari, ac tractari non permittant. Ea verò, quæ ad curiositatem quandam, aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt: tanquã scandala,& fidelium offendicula prohibeant. Curent autem Episcopi, vt fidelium viuorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, eleemosinæ, aliaque pietatis opera, quæ à fidelibus, pro alijs fidelibus defunctis fieri cõsueuerunt, secundum Ecclesiæ instituta piè, & deuotè fiant; & quæ pro illis ex Testatorum fundationibus, vel alia ratione debentur, non perfunctoriè, sed à Sacerdotibus, & Ecclesiæ Ministris, & alijs, qui hoc præstare tenentur, diligenter, & accuratè persoluantur.

De inuocatione, veneratione, Reliquijs Sanctorum, & Sacris Imaginibus.

MAndat Sancta Synodus omnibus Episcopis, & cæteris docendi munus, curam-

ramque sustinentibus, vt iuxta Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ vsum à primæuis Christianæ Religionis temporibus receptum, Sanctorumque Patrum consensionem, & Sacrorum Conciliorum Decreta inprimis de Sanctorum intercessione, inuocatione, Reliquiarum honore, & legitimo imaginum vsu fideles diligentèr instruant; docentes eos Sanctos vnacum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum atque vtile esse suppliciter eos inuocare; & ob beneficia impetranda à Deo, per filium eius Iesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor, & Saluator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere: illos verò qui negant Sanctos æterna felicitate in Cœlo fruentes inuocandos esse, aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, vt pro nobis etiam singulis orent, inuocationem esse Idololatriam; vel pugnare cum verbo Dei, aduersarique honori vnius mediatoris Dei, & hominum Iesu Christi, vel stultum esse, in Cœlo regnantibus voce, vel mente supplicare; impiè sentire.

Sanctorum quoque Martyrum, & aliorum cum Christo viuentium Sancta Corpora, quæ viua membra fuerunt Christi, & templum Spiritus Sancti, ab ipso ad æternã vitam suscitanda, & glorificanda, à fidelibus veneranda esse; per quæ multa Beneficia à Deo hominibus præstantur; ita vt affirmantes

tes Sanctorum reliquijs venerationem atq; honorem non deberi, vel eas, aliaque sacra monumenta à fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandæ causa Sanctorum memorias frustrà, frequentari: omnino damnandos esse, prout iam pridem eos damnauit; & nunc etiam damnat Ecclesia. Imagines porrò Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præsertim habendas, & retinendas, eisque debitum honorem, & venerationem impertiendam: non quod credatur inesse aliqua in ijs diuinitas, vel virtus, proptèr quam sint colendæ; vel quod ab eis sit aliquid petendum; vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim figebatur à gentibus, quæ in Idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illę representant; itaut per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur. Quod Conciliorum, præsertim verò secundæ Nicænæ Synodi Decretis, contrà Imaginum oppugnatores, est Sancitum.

Illud verò diligenter doceant Episcopi, per historias Mysteriorum nostræ Redemptionis, picturis, vel alijs similitudinibus expressas, erudiri, & confirmari Populum in articulis fidei commemorandis, & assiduè recolendis: tùm verò ex omnibus Sacris Imagini-

ginibus magnum fructum percipi non solũ, quia admonetur Populus beneficiorum, & munerum, quæ à Christo sibi collata sunt, sed etiam quia Dei per Sanctos miracula, & salutaria exempla oculis fidelibus subijciuntur; vt pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorumque Imitationem, vitam, moresque suos componant, excitenturque ad adorandum, & diligendum Deum, & ad pietatem colendam. Si quis autem his decretis contraria docuerit, aut senserit: Anathema sit.

In has autem Sanctas, & salutares obseruationes si qui abusus irrepserunt, eos prorsùs aboleri Sancta Synodus vehementèr cupit; itaut nullæ falsi dogmatis imagines, & rudibus periculosi erroris occasionem præbentes, statuantur. Quod si aliquando historias, & narrationes Sacræ Scripturæ, cum id indoctæ Plebi expedit, exprimi, & figurari contigerit; doceatur Populus non propterea diuinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus, aut figuris exprimi possit. Omnis porrò superstitio in Sãctorum inuocatione, Reliquiarum veneratione, & imaginũ sacro vsu tollatur; omnis turpis quęstus eliminetur; omnis deniq; lasciuia vitetur: itaut procaci venustate imagines non pingantur; nec ornentur, & Sanctorũ celebratione, ac reliquiarum visitatione homines ad comessationes, atq; ebrietates non abutãtur, quasi festi dies in honorem Sãctorum per luxũ, ac lasciuiã agantur. Postremò tanta circà

hæc

hæc diligentia, & cura ab Episcopis adhibeatur; vt nihil inordinatum, aut præposterè, & tumultuariè accomodatum, nihil prophanum; nihilque inhonestum appareat; cum domum Dei deceat sanctitudo. Hæc vt fidelius obseruentur, statuit Sancta Synodus, nemini licere vllo in loco, vel Ecclesia, etiàm quomodolibet exempta, vllam insolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit; nulla etiam admittenda esse noua miracula, nec nouas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente, & approbante Episcopo; qui simul atque de ijs aliquid compertum habuerit, adhibitis in Consilium Theologis, & alijs Pijs viris, ea faciat, quæ veritati, & pietati consentanea iudicauerit. Quod si aliquis dubius, aut difficilis abusus sit extirpandus, vel omninò aliqua de ijs rebus grauior quæstio incidat: Episcopus antequam controuersiam dirimat, Metropolitani, & Comprouincialium Episcoporum, in Concilio Prouinciali sententiam expectet; itá tamen. vt nihil inconsulto Sanctissimo Romano Pontifice nouum, aut in Ecclesia hactenus inusitatum, decernatur,

De Indulgentiis.

CVm potestas conferendi Indulgentias à Christo Ecclesię concessa sit; atque huiusmodi potestate, diuinitus sibi tradita, an-

 tiquis-

tiquissimis etiam temporibus illa vsa fuerit; Sacrosancta Synodus Indulgentiarum vsum Christiano Populo maximè salutarem, & Sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet, & præcipit, eosque Anathemate damnat, qui aut inutiles asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant. In his tamen concedendis moderationem iuxta veterem, & probatam in Ecclesia consuetudinem adhiberi cupit; ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina eneruetur. Abusus verò qui in his irrepserunt, & quorum occasione insigne hoc indulgentiarum nomen ab hæreticis blasphematur, emendatos, & correctos cupiens; præsenti decreto generalitèr statuit, prauos quæstus omnes pro his consequendis, vnde plurima in Christiano populo abusuum causa fluxit, abolendos esse. Cæteros verò, qui ex superstitione, ignorantia, irreuerentia, aut aliundè quomodocumque prouenerunt, cùm ob multiplices locorum, & Prouinciarum, apud quas si committuntur, corruptelas, commodè nequeant specialiter prohiberi, Mandat omnibus Episcopis, vt diligenter quisque huiusmodi abusus Ecclesiæ suę colligat, eosque in prima Synodo Prouinciali referat; vt aliorum quoque Episcoporum sententia cogniti, statim ad Summum Romanum Pontificem deferantur, cuius auctoritate, & prudentia, quod vniuersali Ecclesiæ expediet,

sta-

ſtatuatur, vt ità Sanctarum Indulgentiarum munus piè, ſanctè, & incorruptè omnibus fidelibus diſpenſetur.

De delectu Ciborum, Ieiuniis, & diebus feſtis.

De Indice librorum, Catechiſmo, Breuiario, & Miſſali &c.



Digitized by Google

tur: Quantum verò ad Nos attinet, totis viribus conamur, vt illæ simul atque prosiliunt, penitùs opprimantur: Magno enim mœrore afficimur, quòd plerique, spectatæ alioqui probitatis, & doctrinæ in varias sententias, offensionis, & periculi plenas, tum verbo, tum scriptis prorumpunt; deque eis, etiam in Scholis, inuicem controuersantur; cuiusmodi sunt sequentes.

1 Nec Angeli, nec primi Hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia.

2 Sicut opus malum ex natura sua est mortis æternæ meritorium, sic bonum opus ex natura sua est vitæ æternæ meritorium.

3 Et bonis Angelis, & primo Homini, si in statu illo perseuerasset, vsque ad vltimũ vitæ, felicitas esset merces, & non gratia.

4 Vita æterna homini integro, & Angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, & bona opera ex lege naturæ ad illam consequendam per se sufficiunt.

5 In promissione facta Angelo, & primo homini continetur naturalis iustitiæ constitutio, qua pro bonis operibus, sine alio respectu, vita æterna iustis promittitur.

6 Naturali lege constitutum fuit homini, vt si in obedientia perseueraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset.

7 Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera; sed iuxta modum loquendi Scripturæ sacræ nòn rectè vocantur gratia; quo fit, vt tantùm merita, non

etiam gratia debeant nuncupari.

8 In redemptis per gratiam Christi, nullum inueniri potest bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum.

9 Dona concessa homini integro, & Angelo, forsitan, non improbanda ratione, possunt dici gratia; sed quia secundum vsum sacræ Scripturæ, nomine gratiæ, ea tantùm munera intelliguntur; quæ per Iesum Christum malè merentibus, & indignis conferuntur, ideò neque merita, neque merces, quæ illis redditur, gratia dici debet.

10 Solutio pœnæ temporalis, quæ peccato dimisso, sæpè remanet, & corporis resurrectio, propriè non nisi meritis Christi adscribenda est.

11 Quod piè, & iustè in hac vita mortali, vsque in finem, conuersati, vitam consequimur æternam, id non propriè gratiæ Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutę, iusto Dei iudicio deputandum est; neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantùm ad primam institutionem generis humani, in qua lege naturali constitutum est, vt iusto Dei iudicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.

12 Pelagii sententia est, Opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non esse Regni Cęlestis meritorium.

yiδ: 17: 15: 13 Opera bona à filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo, quod

fiunt

fiunt per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, ſed tantùm ex eo, quòd ſunt conformia legi, quodque per ea præſtatur obedientia legi.

14 Opera bona iuſtorum non accipiunt in die Iudicij extremi ampliorem mercedem, quam iuſto Dei iudicio mereantur accipere.

15 Ratio meriti non conſiſtit in eo, quod qui benè operatur habet gratiam, & inhabitantem Spiritum Sanctum; ſed in eo ſolùm, quòd obedit Diuinæ legi. vid: 13: 17:18

16 Non eſt vera legis obedientia, quæ fit ſine charitate.

17 Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt, eſſe neceſſarium ad rationem meriti, vt homo per gratiam adoptionis ſublimetur ad ſtatum Deificum. Vid: 13:15:18

18 Opera Catechumenorum, vt fides, & pœnitentia ante remiſſionem peccatorum facta, ſunt vitæ æternę merita, quam vitam ipſi non conſequentur, niſi priùs præcedentium delictorum impedimenta tollantur. Vid: 13:15:17:

19 Opera Iuſtitiæ, & Temperantiæ, quæ Chriſtus fecit, ex dignitate perſonæ operantis non traxerunt maiorem valorem.

20 Nullum eſt peccatum ex natura ſua veniale, ſed omne peccatum meretur pęnam æternam.

21 Humanæ naturæ ſublimatio, & exaltatio in conſortium Diuinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde

inde naturalis dicenda est, & non supernaturalis.

22 Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Romanos 2. *Gentes quę legem non habent, naturaliter, quę legis sunt, faciunt*, intelligunt de gentibus, fidei gratiam non habentibus.

23 Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio, dono quodam supernaturali, & gratuito, supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, vt Fide, Spe, & Charitate Deum supernaturaliter coleret.

24 A vanis, & ociosis hominibus, secundùm insipientiam Philosophorum, excogitata est sententia, quæ ad Pelagianismum reijcienda est, Hominem ab initio sic constitutum, vt per dona naturæ superaddita, fuerit largitate conditoris sublimatus, & in Dei filium adoptatus.

25 Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.

Vid: 55:79 26 Integritas primæ creationis, non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis eius conditio.

27 Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adiutorio, non nisi ad peccandum valet.

28 Pelagianus est error, dicere, quòd liberum arbitrium valet ad vllum peccatum vitandum.

29 Non soli fures ij sunt, & latrones, qui Christum, viam, & Ostium veritatis, & vitæ ne-

negāt;sed etiam quicumque aliunde, quàm pe ipsum in viam iustitiæ (hoc est aliquam iustitiam) conscendi posse docent.

30 Aut tentationi vlli, sine gratiæ ipsius adiutorio resistere hominem posse, sic vt in eam non inducatur, aut ab ea non superetur.

31 Charitas perfecta, & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta tam in Catechumenis, quàm in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum.

32 Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper coniuncta cum remissione peccatorum.

33 Catechumenus iustè, rectè, & sanctè viuit, & mandata Dei obseruat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lauacro demùm percipitur.

34 Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur, vt auctor naturæ; & gratuiti, quo Deus amatur, vt beatificator, vana est, & commentitia, & ad illudendum sacris Litteris, & plurimis veterum testimoniis, excogitata.

35 Omne quod agit peccator, vel seruus peccati, peccatum est.

36 Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur ex sola philosophia, per elationem præsumptionis humanæ, cum iniuria Crucis Christi defenditur à nonnullis Doctoribus.

37 Cum

37 Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit.

38 Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à Ioanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa, Deus amatur.

39 Quod voluntariè fit, etiamsi necessario fiat, liberè tamen fit.

40 In omnibus suis actibus peccator seruit dominanti cupiditati.

41 Is libertatis modus, qui est à necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solum nomen libertatis à peccato.

42 Iustitia, qua iustificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quæ est operum Iustitia, non autem in gratia alia aliqua animę infusa, qua adoptatur homo in filium Dei, & secundum interiorem hominem renouatur, ac Diuinæ naturæ consors efficitur, vt sic per Spiritum Sanctum renouatus, deinceps benè viuere, & Dei mandatis obedire possit.

43 In hominibus pęnitentibus, ante Sacramentum absolutionis, & in Cathecumenis ante Baptismum, est vera iustificatio; separata tamen à remissione peccatorum.

44 Operibus plerisque, quæ à fidelibus fiunt, solùm vt Dei mandatis pareant, cuiusmodi sunt, obedire parentibus, depositum

red-

reddere, ab homicidio, à furto, à fornicatione abstinere, iustificantur quidem homines, quia sunt legis obedientia, & vera legis iustitia, non tamen iis obtinent incrementa virtutum.

45 Sacrificium Missæ non alia ratione est Sacrificium, quàm generali illa, qua omne opus, quod fit, vt Sancta societate Deo homo inhæreat.

46 Ad rationem, & diffinitionem peccati non pertinet voluntarium; nec diffinitionis quæstio est, sed causæ, & originis, vtrum omne peccatum debeat esse voluntarium.

47 Vnde peccatum originis verè habet rationem peccati sine vlla relatione, ac respectu ad voluntatem, à qua originem habuit.

48 Peccatum originis est habituali paruuli voluntate voluntarium, & habitualiter dominatur paruulo, eò quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium.

49 Et ex habituali voluntate dominante fit, vt paruulus discedens sine regenerationis Sacramento, quando vsum rationis consecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, & legi Dei repugnet.

50 Praua desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo inuitus patitur, sunt prohibita præcepto, *Non concupisces*.

51 Concupiscentia, siue lex membrorum, & praua eius desideria, quæ inuiti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.

52 Om-

37 Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit.

38 Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à Ioanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa, Deus amatur.

39 Quod voluntariè fit, etiamsi necessario fiat, liberè tamen fit.

40 In omnibus suis actibus peccator seruit dominanti cupiditati,

41 Is libertatis modus, qui est à necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solum nomen libertatis à peccato,

42 Iustitia, qua iustificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quæ est operum Iustitia, non autem in gratia alia aliqua animę infusa, qua adoptatur homo in filium Dei, & secundum interiorem hominem renouatur, ac Diuinæ naturæ consors efficitur, vt sic per Spiritum Sanctum renouatus, deinceps benè viuere, & Dei mandatis obedire possit.

43 In hominibus pęnitentibus, ante Sacramentum absolutionis, & in Cathecumenis ante Baptismum, est vera iustificatio; separata tamen à remissione peccatorum.

44 Operibus plerisque, quæ à fidelibus fiunt, solùm vt Dei mandatis pareant, cuiusmodi sunt, obedire parentibus, depositum

red-

reddere, ab homicidio, à furto, à fornicatione abstinere, iustificantur quidem homines, quia sunt legis obedientia, & vera legis iustitia, non tamen ijs obtinent incrementa virtutum.

45 Sacrificium Missæ non alia ratione est Sacrificium, quàm generali illa, qua omne opus, quod fit, vt Sancta societate Deo homo inhæreat.

46 Ad rationem, & diffinitionem pecti non pertinet voluntarium; nec diffinitionis quæstio est, sed causæ, & originis, vtrum omne peccatum debeat esse voluntarium.

47 Vnde peccatum originis verè habet rationem peccati sine vlla relatione, ac respectu ad voluntatem, à qua originem habuit.

48 Peccatum originis est habituali paruuli voluntate voluntarium, & habitualiter dominatur paruulo, eò quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium.

49 Et ex habituali voluntate dominante fit, vt paruulus discedens sine regenerationis Sacramento, quando vsum rationis consecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, & legi Dei repugnet.

50 Praua desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo inuitus patitur, sunt prohibita præcepto, *Non concupisces*.

51 Concupiscentia, siue lex membrorum, & praua eius desideria, quæ inuiti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.

52 Om-

52 Omne fœdus est eius conditionis, vt suum authorem; & omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio.

53 Quantum est ex vi trangressionis, tantum meritorum malorum à generante contrahunt, qui cum minoribus nascuntur vitijs, quàm qui cum maioribus.

54 Diffinitiua hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falsò tribuitur Augustino, cum Pelagij sit.

ad: 79 u 26. 55 Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.

56 In peccato duo sunt; actus, & reatus; transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus, siue obligatio ad pęnam.

57 Vnde in Sacramento Baptismi, aut Sacerdotis absolutione, propriè reatus peccati dumtaxat tollitur; & ministerium Sacerdotum solùm liberat à reatu.

58 Peccator pęnitens non viuificatur ministerio Sacerdotis absoluentis, sed à solo Deo, qui pęnitentiam suggerens, & inspirans, viuificat eum, & resuscitat; ministerio autem Sacerdotis solùm reatus tollitur.

59 Quando per eleemosynas, aliaque pęnitentiæ opera Deo satisfacimus pro pęnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant (nam alioqui essemus, saltem aliqua ex parte, redemptores) sed aliquid facimus, cuius intuitu Christi satisfactio

factio nobis applicatur, & communicatur.

60 Per passiones Sanctorum in Indulgentijs communicatas propriè non redimuntur nostra delicta; sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impartiuntur, vt digni simus, qui pretio sanguinis Christi à pœnis pro peccatis debitis, liberemur.

61 Illa Doctorum distinctio, Diuinæ legis mandata bifariam impleri, altero modo quantum ad præceptorum operum substantiam tantùm; altero quantùm ad certum quemdam modum, videlicet secundùm quē valeant operantem perducere ad regnum æternum (hoc est ad modum meritorum) commentitia est, & explodenda.

62 Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex obiecto, & omnibus circumstantijs rectum est, & bonum (quod moraliter bonum appellare consueuerunt) vel quia est meritorium Regni æterni, eò quòd fit à viuo Christi membro per Spiritum charitatis, reijcienda est.

63 Sed & illa distinctio duplicis iustitiæ, alterius, quæ fit per Spiritum charitatis inhabitantem, alterius, quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti, cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis; & in eo charitatem diffundentis, qua diuinæ Legis iustificatio impleatur, similiter reijcitur.

64 Item, & illa distinctio duplicis viuificationis; alterius, qua viuificatur peccator,

tor, dum ei pœnitentiæ, & vitæ nouæ propositum, & inchoatio per Dei gratiam inspiratur; alterius, qua viuificatur, qui verè iustificatur,& palmes viuus in Vite Christo efficitur, pariter commentitia est, & Scripturis minimè congruens.

65 Non nisi Pelagiano errore admitti potest vsus aliquis liberi arbitrij bonus, siue non malus; & gratiæ Christi iniuriam facit, qui ita sentit, & docet.

66 Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

67 Homo peccat, etiã damnabiliter, in eo, quod necessariò facit,

68 Infidelitas purè negatiua in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.

69 Iustificatio impij fit formaliter per obedientiam Legis, non autem per occultam communicationem, & inspirationem gratiæ, quæ per eam iustificatos faciat implere legem.

70 Homo existens in peccato mortali, siue in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem; & charitas, etiam perfecta, potest consistere cum reatu æternæ damnationis.

71 Per contritionem, etiam cum charitate perfecta, & cum voto suscipiendi Sacramentum coniunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis, aut martyrij, sine actuali susceptione Sacramenti.

72 Om-

72 Omnes omnino Iustorum afflictiones, sunt vltiones peccatorum ipsorum; vnde, & Iob, & Martyres, quæ passi sunt, propter peccata sua passi sunt.

73 Nemo, præter Christum, est absque peccato originali; hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque eius afflictiones in hac vita, sicut, & aliorum iustorum, fuerunt vltiones peccati actualis, vel originalis.

74 Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus iam dominatur, peccatū est, sicut, & alij habitus praui.

75 Motus praui concupiscentiæ, sunt, pro statu hominis vitiati, prohibiti præcepto, *Non concupisces*; Vnde homo eos sentiens, & non consentiens, transgreditur præceptum, *Non concupisces*; quamuis transgressio in peccatum non deputetur.

76 Quamdiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*.

77 Satisfactiones laboriosæ Iustificatorum, non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.

78 Immortalitas primi hominis nō erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.

79 Falsa est Doctorum sententia, primū hominem potuisse à Deo creari, & institui sine Iustitia naturali. Dist: 55: 26:

Quas

Quas quidem ſententias ſtricto coram Nobis examine ponderatas, quamquàm nõnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent; in rigore, tamen & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento, hæreticas, erroneas, ſuſpectas, temerarias, ſcandaloſas, & in pias aures offenſionem immittentes, reſpectiuè, ac quæcumque ſuper iis verbo, ſcriptoque emiſſa, præſentium auctoritate damnamus, circumſcribimus, & abolemus; deque eiſdem, & ſimilibus poſthac, quoquo pacto, loquendi, ſcribendi, & diſputandi, facultatem quibuſcumque interdicimus. Qui ſecus fecerint, ipſos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis, & officiis perpetuò priuamus, ac etiam inhabiles ad quæcumque decernimus, Vinculo quoque anathematis eo ipſo innodamus, à quo, nullus Romano Pontifice inferior, valeat ipſos excepto mortis articulo, liberare... Datum Romæ apud Sanctum Petrum, An. Incarnationis Dominicæ Milleſimo qningenteſimo ſexageſimo ſeptimo, Kalendis Octobris, Pontificatus Noſtri Anno ſecundo,



MAN-

MANDATVM APOSTOLICVM

Olim iussu S. D. N. Sixti V. editum per Illustrissimum, & Reuerendissimum D. Octauium Episcopum Calatinum Nuntium Apostolicum, & Louanii anno M. D. LXXXVIII. 10. Iulii promulgatum.

Occasione Censuræ, quam tulerat Facultas S. Theologiæ Louaniensis contra Assertiones quorumdam S. Theol. Professorum Societatis Iesu Louanij, quæ demum censura, cum sua iustificatione quinquaginta quatuor post annis, hoc est, anno 1641. in lucem prodijt, typis, vt prætexebatur, Parisiensibus excusa, & multò post, hoc est, anno 1675. etiam Louaniensibus typis recusa; sed pariter & locum impressionis Parisios, & annum 1641. mentita.

OCTAVIVS Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Calatinus S.D.N. Domini Sixti Diuina prouidentia PP. V. eiusdemque sanctæ Sedis in Coloniensis, Mogūtinensis, Argentinensis, Spirensis, Vvormatiensis, Monasteriensis, Osnaburgensis, Padebornensis, Leodiensis, Luxemburgensis, & in inferioris Germaniæ, & Belgarum Prouincijs, Ciuitatibus, & locis omnibus, etiam

Duci Cliuensi, & Iuliacensi subiectis, Nuntius cum potestate legati de latere: Vniuersis & singulis, præsentes nostri Edicti litteras visuris, lecturis, & audituris, Salutem in Domino sempiternam.

Etsi diuersorum hominum diuersæ sint, discrepantesque sententiæ; quamdiu tamen fide & dilectione Deo adhærent, estque eorum quasi cor vnum, & anima vna sub vno inuisibili Duce, & Capite Christo, eiusque Vicario Diuo Petro, alijsque deinceps Romanis Pontificibus eius legitimis successoribus, non solùm suprema illa gradus, & officij dignitate à Christo Domino in eos perpetua successione deriuata, corporis, & sanguinis Dominici alimonia (vt eius spiritu vegetentur) in vno Ecclesiæ ouili reficiendi sunt, sed illa etiam iurisdictionis authoritate terribili cuius potestas celos quoque penetrat, & quidquid in terris est, subiectum habet; cui Christus ad seruandum vnitatem (cuius ipse author est) parendum esse sanxit; ita in Religionis Christianæ officijs continendi sunt, vt vnā fidem, vnum baptisma, vnum Deum, ac Dominum venerantes & colentes, in eodem sensu eademque sententia concordes idipsum dicant, & sapiant, nec vllis doctrinæ dissidijs lacerentur, aut vllo schismate, vllaue sacrilega separatione, ab hac vnitate spiritus, pacisque vinculo diuellantur. Cùm igitur Coloniæ commorantes quasdam opinionum dissensiones ortas

tas esse cognouerimus inter Vniuersitatis Louaniensis Theologos, & Sacerdotes Societatis Iesu Louanij Theologiam profitentes, super quibusdam SANAE DOCTRINAE articulis, quibus fidelium vnitas scindi, ac Christi corpus lacerari posset, nisi maturè sapienterque occurratur; eas non solum S. D. N. Sixto PP. V. Sanctæque Sedi Apostolicæ significauimus, vt tam periculoso dissidio obuiam iretur; Sed qua potuimus diligentia litteris proprijs vtramque partem monuimus, obsecrauimusque, vt disceptationibus huiusmodi, quoad sua Sanctitas quæstiones controuersas definierit, tùm verbo, tùm scripto desisteretur; quod vt faceremus, Apostolico mandato ad nos directo iussi sumus; præsertim cum nulli (nisi successori Diui Petri Pontifici Romano) liceat doctrinæ Christianæ res controuersas definire. Et quamuis partes ipsæ cohortationes nostras non recusauerint, humilesque ac obedientes coram nobis Louanii residentibus, Suæ Sanctitati, sanctæque Sedi Apostolicæ se præbuerint; tamen cum acceperimus aliquos etiam diuersorum ordinum regulares, clericosque sæculares, ac potissimum studiosos, de assertionibus, de quibus controuersia est, inter dictæ Vniuersitatis Louaniensis Theologos, & Sacerdotes Societatis Iesu sacram Theologiam profitentes, tam pertinaciter pro alterutra parte contendere, & temeritate quadam in suis

 con-

Duci Cliuensi, & Iuliacensi subiectis, Nuntius cum potestate legati de latere: Vniuersis & singulis, præsentes nostri Edicti litteras visuris, lecturis, & audituris, Salutem in Domino sempiternam.

Etsi diuersorum hominum diuersæ sint, discrepantesque sententiæ; quamdiu tamen fide & dilectione Deo adhærent, estque eorum quasi cor vnum, & anima vna sub vno inuisibili Duce, & Capite Christo, eiusque Vicario Diuo Petro, alijsque deinceps Romanis Pontificibus eius legitimis successoribus, non solùm suprema illa gradus, & officij dignitate à Christo Domino in eos perpetua successione deriuata, corporis, & sanguinis Dominici alimonia (vt eius spiritu vegetentur) in vno Ecclesiæ ouili reficiendi sunt, sed illa etiam iurisdictionis authoritate terribili cuius potestas celos quoque penetrat, & quidquid in terris est, subiectum habet; cui Christus ad seruandum vnitatem (cuius ipse author est) parendum esse sanxit; ita in Religionis Christianæ officijs continendi sunt, vt vnã fidem, vnum baptisma, vnum Deum, ac Dominum venerantes & colentes, in eodem sensu eademque sententia concordes idipsum dicant, & sapiant, nec vllis doctrinæ dissidijs lacerentur, aut vllo schismate, vllaue sacrilega separatione, ab hac vnitate spiritus, pacisque vinculo diuellantur. Cùm igitur Coloniæ commorantes quasdam opinionum dissensiones ortas

tes esse cognouerimus inter Vniuersitatis Louaniensis Thelogos, & Sacerdotes Societatis Iesu Louanij Theologiam profitentes, super quibusdam SANAE DOCTRINAE articulis, quibus fidelium vnitas scindi, ac Christi corpus lacerari posset, nisi maturè sapienterque occurratur; eas non solum S. D. N. Sixto PP. V. Sanctæque Sedi Apostolicæ significauimus, vt tam periculoso dissidio obuiam iretur; Sed qua potuimus diligentia litteris proprijs vtramque partem monuimus, obsecrauimusque, vt disceptationibus huiusmodi, quoad sua Sanctitas quæstiones controuersas definierit, tùm verbo, tùm scripto desisteretur; quod vt faceremus, Apostolico mandato ad nos directo iussi sumus; præsertim cum nulli (nisi successori Diui Petri Pontifici Romano) liceat doctrinæ Christianæ res controuersas definire. Et quamuis partes ipsæ cohortationes nostras non recusauerint, humilesque ac obedientes coram nobis Louanii residentibus, Suæ Sanctitati, sanctæque Sedi Apostolicæ se præbuerint; tamen cum accepe-rimus aliquos etiam diuersorum ordinum regulares, clericosque sæculares, ac potissimum studiosos, de assertionibus, de quibus controuersia est, inter dictæ Vniuersitatis Louaniensis Theologos, & Sacerdotes Societatis Iesu sacram Theologiam profitentes, tam pertinaciter pro alterutra parte contendere, & temeritate quadam in suis

concionibus, lectionibus, disputationibus, scriptisque priuatis alterius partis sententiam damnare, quã sancta Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum magistra, salutaris disciplinæ doctrix non damnauit; & quos tumultuantes atque dissidentes componere, sedareque satius foret, eos indiscretæ deuotionis obtentu, vel potius loquacitatis, & ostentationis affectu, studio partium, ad tumultus, simultatesque concitare. Prædictorum omnium, & singulorum temeritati, populorumque scandalo occurrere studentes, præsentibus his nostri edicti litteris statuimus, & ordinamus, ac per Apostolica scripta mandamus, vt nemo cuiuscumque ordinis, gradus, conditionis, vel dignitatis existat, in concionibus, lectionibus, disputationibus publicis, & priuatis, aut vbicumque promiscua virorum, ac mulierum multitudo conuenire solet, de his assertionibus controuersis in alterutram partem ita disputare, rationibus vel Doctorum auctoritate vnius partis assertiones confirmare, alteriusque refellere, aut impugnare, vel cuiuscuis pietatis, aut necessitatis prætextu, de his loqui, scribere, vel dictare in posterum attentet, vt ausu temerario eas hæreticas, suspectas, offensiuas, & periculosas esse; & qui eas afferunt alicuius hęresis labe, aut suspicione contaminatum iri, donec auctoritate Apostolica maturè definitæ fuerint, affirmare pręsumat. Quod si quis contra fecerit,

rit, sciat se excōmunicationis latæ sententiæ pęnam (à qua nisi in mortis articulo constitutus à nullo prӕterquam à Romano Pontifice valeat absolui (& incurrisse, & alias pęnas nobis, nostroque arbitrio reseruatas subiturum. Vt autem hæ nostræ litterę, & præmissa vniuersa ad eorum omnium, quorum interest, notitiam peruenire possint, monemus, requirimus & obsecramus, ac in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus omnibus, & singulis Archiepiscopis, locorum Ordinarijs; eorumque Suffraganeis, Vicariis, & officialibus quibusque, aliisque omnibus & singulis, ad quos quomodolibet spectat, & pertinet, vt huiusmodi edicti litteras, singulis Diœcesis vel districtus, monasterijs, concionatoribus, & alijs quibuscumque expedire iudicauerint, opportunè insinuent & promulgent, ac insinuari, & promulgari faciant; ne qua radix amaritudinis, & dissensionis (quod absit) per eos succrescat, per quam turbentur multi, quamque necesse sit omninò præcidi. Et ne quis in posterum quoquo modo ignorantiam præmissorum possit prætendere, aut se contra præmissa valeat excusare, volumus, & eadem pariter auctoritate decernimus atque mandamus, vt præsentes litterę in locis solitis huius oppidi Louaniensis, & in alijs pariter legationis nostræ consuetis affigantur, & in eisdem locis per aliquot dies affixæ remaneant; quæ affixio, ita omnes, ad quos spe-

ctat, afficiat & arctet, ac si illis personaliter intimatæ fuissent. Datum Louanii die 10. Iulii 1588. Indictione prima, Pontificatus S. D. N, Sixti Diuina prouidentia PP. V. Anno quarto. *Subscriptum erat*. Octauius Episcopus Calatinus Nuntius Apostolicus. *Et infra* iussu Illustrissimi, & Reuerendissimi Domini Nuntij Apost. Ioannes Masius excudebat.



CA-

CAPVT XVI.

Decreta Vrbani Octaui contra opera Cornelij Iansenij, & aliorum.

S. D. N. D. VRBANI
Diuina Prouidentia Papæ VIII.

Confirmatio Constitutionum Pij Papæ V. & Gregorij XIII. condemnantium errores Michaelis Baij, & aliorum. Nec non prohibitio Libri, cui titulus, Augustinus Cornelij Iansenij, olim Iprensis Episcopi, excusi Louanij, typis Iacobi Zegeri, anno 1640. aliorumque operum, ac libellorum, occasione dicti Libri, varijs in locis, & varijs idiomatibus impressorum.

VRBANVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

IN eminenti Ecclesiæ militantis Sede, meritis licèt imparibus, constituti, sedulò meditamur, vt quæ, ad fidei Catholicæ conseruationem, à Prædecessoribus nostris prouidè statuta, & ordinata sunt, firmiter per-

Digitized by Google

petuò obſeruentur; & cùm opus ſit, noſtræ auctoritatis munimine confirmentur. Dudū ſiquidem à fel. rec. Pio Papa V. Prædeceſſore noſtro emanauit Conſtitutio tenoris ſubſequentis, videlicet: PIVS Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Ex omnibus afflictionibus (*ſequitur tenor Bullæ Pij V. quam ſupra Lector inueniet.*

Deindeque piæ me. Gregorius Papa XIII. etiam Prædeceſſor noſter, intellecto per eū, non ſine animi ſui dolore, non defuiſſe tunc temporis aliquos Theologos, tum ſtudioſos, tum profeſſores, qui articulos in prædicta Conſtitutione damnatos aſſerere, & pertinaciter defendere pergerent; pro officij ſui munere eorumdem temeritatem, atque audaciam ad totius Eccleſiæ periculum pertinentem, minimè contemnendam, & diſſimulandam cenſuit; ſed ad coercenda huiuſmodi ingenia, per aliam ſuam Conſtitutionem, ſub datum quarto Kalendas Februarij, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingenteſimo ſeptuageſimo nono, Pontificatus ſui Anno octauo, editam, Pij Prædeceſſoris Conſtitutionem prædictam ſua quoque auctoritate confirmauit, articuloſque ibidem comprehenſos, iteratò damnauit; & ne quis hac in re conſtantem Sedis Apoſtolicæ voluntatem, ac ſententiam ignorare poſſet, ſuam huiuſmodi confirmationis Conſtitutionem, altera Pij V. comprehenſa, publicauit, & promulgauit.

Postea recolendæ memoriæ Paulus Papa V. similiter Prædecessor noster, ad tollenda scandala, & dissensiones, quæ in Ecclesia Catholica oriebantur, occasione editionis librorum, & operum de Auxilijs tractantiũ, in Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis, sub die 1. Decembris Anni Domini 1611. coram ipso habita, decreuit, vt scriberetur Nuntijs Apostolicis, quod notificarent, & ordinarent Superioribus Religionum, & Vniuersitatibus Studiorum, & Ordinarijs eorum Nuntiaturæ, ne sinerent imprimi in materia de Auxilijs, etiam sub prætextu commentandi S. Thomam, aut alio modo; & qui vellent de hac materia scribere, & imprimere, priùs mitterent Tractatus, & Compositiones ad dictam Sanctam Vniuersalem Inquisitionẽ; & in executionem mentis dicti Pauli Prædecessoris, eiusdem Decreti tenor omnibus prædictis per Nuntios respectiuè fuit legitimè intimatus; Successiuèque ne contra prædictum Decretum aliquid attentari contingeret, sed scandala, & dissensiones omninò cessarent, Nos in alia Generali Congregatione dictæ S. Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis, feria quinta die 22. Maij, Anno Domini 1625. per aliud Decretum nostrum, ipsum Pauli Prædecessoris Decretum confirmauimus, & innouauimus.

Nouissimè tandem accepto per Nos in Oppido (Ciuitate nuncupato) Louaniensi,

quos-

quosdam assertos Cornelij Iansenij olim Episcopi Iprensis, executores, ex testamento in lucem edi curasse Librum, cui titulus, Augustinus, ex professo continentem; & tractantem materiam de Auxilijs, nulla penitùs petita, vel obtenta à dicta Congregatione licentia illum imprimendi; eiusque operis occasione Patres Societatis Iesu, nonnullas in Ciuitate Antuerpien. de eadem materia tractantes Theses, pariter absque licentia eiusdem Congregationis, imprimi curasse..... per aliud Decretum in alia plena, & generali Congregatione eiusdem Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis coram Nobis die prima Augusti proximè præteriti habita; inhærendo prioribus Decretis à Paulo Prædecessore, & à Nobis, vt supra editis, pro tunc dictum Librum Iansenij, cui titulus; Augustinus, Louanij impressum, necnon Theses á Patribus Societatis Iesu Antuerpiæ in lucem editas; aliasque scripturas in calce posterioris nostri Decreti huiusmodi registratas, iam vigore anteriorum supradictorum Decretorũ prohibitas, de nouo prohibuimus, ac pro prohibitis omninò haberi voluimus.

Cùm autem ex diligenti, & matura eiusdem Libri, cui titulus, Augustinus, lectione, postmodùm compertum fuerit, in eodem Libro multas ex propositionibus à Prædecessoribus nostris olim, vt præfertur, damnatis, contineri, & magno cum Catholico-

rum scandalo, & auctoritatis dictæ Sedis contemptu, contra præfatas damnationes, & prohibitiones defendi; Nos huic malo, in scandalum totius Reipublicæ Christianæ, & Fidei Catholicæ perniciem, vertenti, opportunum remedium adhibere volentes, Constitutionis Gregorij, ac Pauli Prædecessorũ prædictorum nostrorum; necnon Decretorum huiusmodi totos, & integros tenores, ac datas etiam veriores præsentibus pro totaliter expressis, & insertis habentes; Motu proprio; & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac perpetuò valitura Constitutione eiusdem Pij, & Gregorij Prædecessorum; huiusmodi Constitutiones prædictas, omniaque, & singula in eis contenta; Apostolica auctoritate tenore præsentium, perpetuò confirmamus, & approbamus; Librumque prædictum, cui titulus est, Augustinus, Articulos, opiniones; & sententias in dictis Constitutionibus reprobatas, atque damnatas, vt à Nobis compertum est, continentem; & renouantem; aliaque omnia opera præsentibus nostris litteris subinserta, quę alijs sub posteriori Decreto nostro prędicto registratis, per præsentes addimus, atque adiungimus, eadem auctoritate, per pręsentes omnino prohibemus, ac pro vetitis, & prohibitis haberi volumus, & mandamus. Iubentes insuper sub omnibus pœnis, & censuris in prędicta Constitutione Pij Prædecessoris, contentis

(à qui-

(à quibus nullus Romano Pontifice inferior, excepto mortis articulo, absoluere contrafacientes possit) ne quis cuiuscumque conditionis, & qualitatis sit, etiam speciali, & specialissima nota, & expressione dignus, de prædictis, vt supra, damnatis, & in prædicto Libro contentis, alijsque (vt infra) subinsertis, Articulis, opinionibus, sententijs, libellis, orationibus, scripturis, epistolis, thesibus, quoquo pacto loqui, scribere, & disputare audeat, Librumque, & alia prædicta penès se retinere, vel legere præsumat. Opera veró addita alijs, in calce posterioris nostri Decreti, vt præfertur, registratis, & prohibitis sunt sequentia, videlicet, Liberti Fromondi Sacræ Theologiæ Doctoris &c. Breuis Anatomia hominis, Louanij apud Iacobum Zegers &c. Anno 1641. Conuentus Africanus, siue disceptatio iudicialis apud Tribunal Præsulis Augustini &c. enarratore Artemidoro Oneirocritico A Rouen chez Nicolas de Montaigne anno 1641. . . . Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, approbationis, additionis, adiunctionis, prohibitionis, iussionis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctū Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ

mil-

millesimo sexcentesimo quadragesimo primo. Pridie Nonas Martij, Pontificatus Nostri Anno Decimonono.

E. D A T.

Visa de Curia P. Gentilis.

F. Morelus.

P. Ciampinus.

Anno à Natiuitate D. N. Iesu Christi millesimo sexcentesimo quadragesimo tertio, Indictione vndecima, die verò 19. Iunij Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. VRBANI Diuina Prouidentia Papæ VIII. Anno eius vigesimo, supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apostolicæ, atque in Acie Campi Floræ, vt moris est, per me Io. Baptistam Ricium, eiusdem Sanctiss. D. N. Papæ, ac Sanctæ Inquisitionis Cursorem.



S.D.N.

S. D. N. VRBANI

Diuina Prouidentia Papæ VIII.

Decretum, quo exponitur, quid Romæ actum, ad asserendam veritatem Bullæ *in eminenti* aduersus Augustinum Corn. Iansenij.

Feria v. die xvj. Iunij M. DC. XLIV.

In Generali Congregatione S. Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico apud S. Petrum, coram Sanctissimo Domino nostro D. Vrbano Diuina Prouidentia Papa VIII. ac Eminentissimis, & Reuerendissimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam prauitatem in tota Republica Christiana Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

CVm post publicatam Bullam Sanctissimi Domini nostri contra librum Cornelij Iansenij, olim Episcopi Iprensis, cui titulus Augustinus, excitatæ fuerint varię difficultates occasione diuersitatis exemplariũ Bullę præfatę, & aliorum, de quibus in nonnullis libellis diuulgatis; cumque per Ioannem Sinichium, & Cornelium Papium Doctores Vniuersitatis Louaniensis fuerint pręsentatæ litterę eiusdem Vniuersitatis, necnõ

por-

porrectus supplex libellus Sanctissimo Domino Nostro pro dictæ Bullæ veritate, & intentione Sanctitatis Suę circa illam indaganda; Idem Sanctissimus litteras, & libellum prefatum Sacræ Congregationi Supremæ, & Vniuersalis Inquisitionis remisit, vt per eam de contentis in illis informaretur, prout successiuè informatus mandauit per Eminentissimos, ac Reuerendissimos DD. Cardinales Bernardinum Spadam, Ioannem Baptistam Pamphilium, & Lælium Falconerium, tres ex Supremis Inquisitoribus, antedictos Sinichium, & Papium audiri, & deinde Sanctitati Suæ ab eis deducta referri, Qui quidem Domini Cardinales, in executionem dicti mandati, prefatos Doctores verbo, & scripto, multa deducentes, tum congregatim, tum priuatim audiuerunt, eaque omnia in præfata suprema, & vniuersali Congregatione priùs communicata, ac ibi pluries discussa, vnà cum voto ipsius Congregationis Sanctissimo Domino Nostro diligentissimè retulerunt. Sanctitas verò Sua, audita relatione, & voto prefatis, necnon omnibus maturè perpensis, & consideratis; mandauit ex Archiuio eiusdem Congregationis, & ex Matrice actorum, quæ in eodem Archiuio conseruantur, extrahi siue transcribi, & diligenter collationari, ac imprimi exemplar Bullę præfatę, illudque sic extractum, collationatum, & impressum, eisdem Sinichio & Papio, per supra-

prædictos DD. Cardinales Spadam, Pamphilium, & Falconerium consignari, ipsisque insuper Sinichio, & Papio intimari, & significari: Suę Sanctitatis mentem, & voluntatem esse, vt eidem exemplari sic consignato fides adhibeatur, & ab omnibus Christi fidelibus Bullæ huiusmodi omninò pareatur, sub pœnis, & censuris in ea contentis: & demùm super dubitationibus, difficultatibus, ac querelis occasione præfatæ Bullæ quoquo modo excitatis, vel excitandis, perpetuum silentium imponi, prout imposuit, & ita &c. Non obstantibus omnibus, & quibuscumque in contrarium adductis, & deductis &c. Insuper Sanctitas Sua mandauit iuxta sensum præfatum scribi per eandem S. Congregationem Nuntijs Apostolicis, ac locorum Ordinarijs, & expediri etiam litteras ad Gubernatorem Flandrię, & Vniuersitatem Louaniensem, & ad alios &c.

Fidem facio Ego Notarius publicus infrascriptus, qualiter die xxix. Iulij M. DC. XXXXIV. in executionem suprascripti Decreti fuit à supranominatis Eminentissimis, & Reuerendissimis DD. Cardinalibus Spada, Pamphilio, & Falconerio, datum & cum effectu consignatum in proprijs manibus DD. Ioannis Sinich, & Cornelij Papij; Professorum Vniuersitatis Louaniensis, exemplar Bullæ Sanctissimi Domini nostri Vrbani Papæ Octaui, contra librum quendam Re-

ue-

uerendiſſimi Cornelij Iãſenij Epiſcopi Iprẽſis intitulatum Auguſtinus, & alios libros, & opuſcula contenta in eadem Bulla; ijſque ab eiſdem Eminentiſſimis DD. Cardinalibus intimatã,& ſignificatam Suę Sanctitatis mentem & voluntatem, vt in præfato Decreto, præſentibus teſtibus opportunis, & cum aſſiſtentia Reuerendiſs. D. Franciſci de Albizis eiuſdem Sanctæ Vniuerſalis Inquiſitionis Aſſeſſoris. In quorum fidem me ſubſcripſi, & ſigillo præfatæ Sanctæ Inquiſitionis muniui, hac die trigeſima Iulij Anni ſm il leſimi ſexcenteſimi quadrageſimi quarti. *Et erat ſubſcriptum*. Ita eſt. Ioannes Antonius Thomaſius præfatæ S. Vniuerſalis Inquiſitionis Notarius. Et appoſitum ſigillum S. Congregationis.

ATTESTATIO ALTERA.

Eiuſdem Notarij de exemplari Bullæ Vrbāni Octaui recuſa Anno 1664. ad amuſſim concordante cum exemplari ſeruato in matrice actorum Pij V. Gregorij XIII. & Vrbani VIII.

ATteſtor Ego Io. Antonius Thomaſius Supremæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis de Vrbe Notarius à Matrice actorum Pij V. & Gregorij XIII. F. R. nec non S.D.N. Vrbani Papæ VIII. quæ in Archiuio eiuſdem ſupremæ, & vniuerſalis Inquiſitionis conſeruantur, me extraxiſſe, ſeu tranſcripſiſſe de


verbo ad verbum, & deinde diligenter collationasse præsens exemplar, atque in omnibus, & per omnia cum prædictis, vt supra ad amussim concordare. In quorum fidem præsentes subscripsi, & sigillo Sanctæ Rom. & vniuersalis Inquisitionis muniui, hac die vigesima prima Iulii millesimi sexcentesimi quadragesimi quarti.

Ita est.

Io. Antonius Thomasius S. Rom. Vniuersalis Inquisitionis Notarius.

LOCVS SIGILLI S. Congregationis S. Rom. & Vniuersatis Inquisitionis.

HÆc attestatio Louanii extat Originalis ad calcem Bullæ Vrbani VIII. recusæ anno 1644. in gratiā Doctorum Louaniensium: vbi in Bulla Pii V. Vrbanianæ inserta: post hæc verba, *sustineri possent*, & ante hæc, *in rigore, & proprio verborum sensu*, visitur distinctum comma, seu virgula disiunctiua.



CAPVT XVII.

Definitiones Innocentij X.

S. D. N.

INNOCENTII Diuina Prouidentia PP. X, Decretum aduersus libros continentes Propositionem, qua assseritur æqualitas SS. Petri, & Pauli.

Feria 5. Die 24. Ianuarii M.DC.XLVII.

In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis, coram Sanctissimo D. N. D. Innocentio Diuina Prouidentia Papa X. ac Eminentissimis, & Reuerendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus, in vniuersa Republica Christiana aduersus hæreticam prauitatẽ Inquisitoribus generalibus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

EDitus est Anno 1645. Liber Gallico Idiomate impressus, cui titulus: *De l'autorité de S. Pierre & de S. Paul, qui reside dans le Pape Successeur de ces deux Apostres* absque nomine Authoris, & impressionis loco. Huius Libri euulgationem

subsecuta est editio alterius Libri Anonymi eodem Idiomate impressi, cui titulus: *La Grandeur de l'Eglise Romaine establie sur l'autorité de S. Pier, & de S. Paul.* Nec non Epistolę eiusdem argumenti Latino Idiomate conscriptæ, ac typis excusæ, plurimis adductis atque congestis Sanctorum Patrum, Summorum Pontificum, Sacrorum Conciliorũ, & Doctorum locis.

Quocircà, ne in re tanti ponderis error aliquis mentibus Christi fidelium irreperet, libris prædictis de mandato Sanctissimi maturè examinatis, locisquè adductis diligenter inspectis, ac ponderatis.

Sanctissimus relata vnanimi Theologorum ad hoc specialiter deputatorum censura, & auditis votis Eminentissimorum, & Reuerendissimorum DD. Cardinalium Generalium Inquisitorum, Propositionem hanc: S. Petrus, & Paulus sunt duo Ecclesiæ Principes, qui vnicum efficiunt. Vel: sunt duo Ecclesiæ Catholicæ Coriphæi, ac supremi Duces summa inter se vnitate coniuncti. Vel: sunt geminus vniuersalis Ecclesiæ vertex, qui in vnum diuinissimè coáluerunt. Vel: sunt duo Ecclesiæ Summi Pastores, ac Præsides, qui vnicum caput constituunt, ita explicatam, vt ponat omnimodam æqualitatem inter S. Petrum, & S. Paulum sine subordinatione, & subiectione Sanct. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema, & in regimine vniuersalis Ecclesiæ, hæreti-

reti-

reticam censuit, & declarauit.

Epistolam verò, ac libros prædictos, aliosque, in quibus Propositio, vt supra explicata & damnata asseritur, & defenditur, tàm impressos, quàm imprimendos quocumque idiomate, aut quomodolibet etiam in scriptis euulgatos, vel in posterum euulgandos, Sanctitas sua omninò damnatos, & prohibitos esse voluit, prout præsenti Decreto damnat, & prohibet.

Mandans vt nemini cuiuscumq; gradus, & conditionis existat etiam speciali, seu specialissima nota dignus, libros prædictos, aut aliquem ex illis apud se retineat, aut legat, nec imprimere, aut imprimi curare audeat, sub censuris, & pœnis contra huiusmodi delinquentes statutis, sed statim à præsentis Decreti notitia, quicumque illos habuerit, locorum Ordinariis, seu Inquisitoribus consignare teneatur.

Io. Antonius Thomasius S. Rom. & Vniuers. Inquis. Not.

Anno à Natiuitate D. N. Iesu Christi millesimo sexcentesimo quadragesimo septimo, Indictione 15. die verò 25. mensis Ianuarii Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Innocentii diuina prouidentia Papa X. Anno eius tertio, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Basilicarum S. Ioannis Lateran. et S. Petri de Vrbe, nec non ad valuas Palatii Sacre In-

quisitionis, & Cancellariæ Apost. ac in acie Campi Floræ, vt moris est, per me Hieronymum Mascellã eiusdem SS. D. N, Papæ, & Sanctiss. Inquisitionis Cursorem.

S. D. N.

INNOCENTII diuina prouidẽtia Papæ X. Decretum, quo damnatur libellus, cui titulus; *Catechisme de la grace*, vt continens errores damnatos à Pio V. Gregorio XIII. Vrbano Octauo, qui est ille ipse libellus, qui nuper iterum protrusus est in lucem; sed nouum habens titulum; *Esclaircissemens sur quelques difficultez touchant la grace, auec vne solide response à quelques doutes populaires sur la doctrine de ladite grace, & de la predestination. A Liege chez la Veufue de Streel auec permission des Supereurs* 1679.

Feria 5. *die* 6. *Octobris* 1650.

In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis habita in Pal. Apost. Montis Quirinalis coram Sãctiss. D. N. D. Innocentio Diuina prouidentia Papa X. ac Eminentissimis, & Reuerendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in vniuersa Republica Christiana aduersus hæreticam prauitatem Inquisitoribus generalibus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Hoc

HOc anno 1650. editus est Libellus Gallus Gallico Idiomate, cui Titulus *Catechisme de la Grace*, sine nomine Auctoris, & absque impressionis loco. Contra doctrinam in eo libello contentam, Libellus alter pariter Idiomate Gallico impressus est, cui Titulus: *Catechisme ou Abregé de la Doctr ne touchant la Grace diuine, selon la Bulle de Pie V. Gregoire XIII. Vrbain VIII. Antidote contre les erreurs du temps, par vn Docteur de la S. Theol. de Douay. A Douay chez la Vefue Marc Vvion, à l'enseigne du Phœnix* 1650. Cumque in Opusculis prædictis materia gratiæ diuinæ, & liberi arbitrii contineretur, præfatus Sanctiss. DD. ne mentes fidelium ex eorum lectura, periculo & scandalo exponerentur, per Theologos eiusdem Sacræ Congregationis Qualificatores, ad hoc specialiter deputatos, doctrinam in eis contentam examinari mandauit, eorumque censura demum relata; & auditis votis Eminentissimorum, & Reuerendissimorum DD. Cardinalium Generalium Inquisitorum, Libellum vtrumque, siue Gallico, siue alio Idiomate excusum, prohibendum censuit, prout præsenti Decreto omnino prohibet. Primum siquidem, cui titulus *Catechisme de la Grace*, quia in eo continentur quamplures sententiæ, alias per fcel. record. Pium V. Gregor. XIII. & Vrbanu m Octauum damnatæ, Ambos verò, quia ex professo tractant materiã de Auxiliis, quam

non licuit imprimere, nisi prius obtenta à Sede Apostolica licentia, iuxta Decreta piæ mem. Pauli V. & Vrbani VIII. Et propterea eorum Auctores pœnis in prędictis Constitutionibus, & Decretis Apostolicis contentis subiacent, Denique quia in forma, & sub nomine Catechismi, vernacula Gallorum lingua vulgati, sunt, Cum tamen materia in eis digesta supereret captum vulgi, cui lac Potum dari opertet, non escam istam, quam glutire non potest. Mandat propterea Sanctitas Sua, vt nemo cuiusque gradus, & conditionis, existat, etiam speciali, & specialissima nota dignus, libellos prędictos, aut aliquem ex illis apud se retineat, aut legat, neuè imprimere, aut curare imprimi audeat, sub censuris, & pœnis contra huiusmodi delinquentes, statutis, sed statim à Præsentis Decreti notitia illos locorum Ordinariis, vel Inquisitoribus consignet.

Io. Antonius Thomasius S. Romanæ & Vniuersalis Inquisitionis Not.

Anno à Natiuitate D. N. Iesu Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo, Indictione 3. die verò 14. Mensis Octobr. Pontificatus Sanctiss. in Christi Patris, & D. N. D. Innocentii diuina prouidentia Papæ X. Anno eius septimo, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Basilicarum S. Ioannis Lateran.

& San-

cti Petri de Vrbe, nec non ad valuas Palatii Sacræ Inquisitionis, & Cancellariæ Apost. ac in acie Campi Floræ, vt moris est, per me Hieronymum Mascellã eiusdem Sanctiss. D. N. Papæ, & Sanctiss. Inquisitionis Cursorem.

Antonius Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Gandauensis, Vniuersis nostræ Diæcesis, fidelibus salutem in Domino.

NOstra erga Sedem Apostolicam Filialis obseruantia, ac Paterna in nobis subditos cura id exigit, vt vobis, & cuilibet vestrum, notum faciamns infrascriptum eiusdem Decretum nobis transmissum, quatenus eidem vos obedienter conformeris, & vt id faciatis hortemur, & mandemus, prout hortamur, & mandamus per præsentes. *Datum Gandaui in Palatio nostro Episcopali, Anno Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo Mensis Nouemb. die vigesima Nona.*

De Mandato Perillustris, ac Reuerendissimi Domini Episcopi præfati.
P. Simon, *Secretarius*.

De-

Decreti autem forma est hæc.

Feria 5. die 6. Octobris 1650. &c.

HOc anno 1650. editus est Libellus Gallico idiomate, cui titulus: Catechisme de la Grace. *Reliqua, vt supra.*

S. D. N. INNOCENTII

Diuina Prouidentia Papæ X.

CONSTITVTIO

Qua damnantur, vt hæreticæ, quinque Propositiones Cornelij Iansenij Iprensis Episcopi.

INNOCENTIVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei

Vniuersis Christi fidelibus, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.



CVM occasione Impressionis libri, cui Titulus, Augustinus Cornelij Iansenij Episcopi Iprensis, inter alias eius opiniones orta fuerit, præsertim in Gallijs controuersia super quinque ex illis, Complures Galliarum Episcopi

ſcopi apud Nos inſtiterunt, vti eaſdem Propoſitiones Nobis oblatas expenderemus, ac de vnaquaque earum certam, & perſpicuam ferremus ſententiam.

Tenor verò præfatarum Propoſitionum eſt prout ſequitur.

Prima: Aliqua Dei præcepta Hominibus iuſtis volentibus, & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia, deeſt quoque illis Gratia, qua poſſibilia fiant.

Secunda: Interiori Gratiæ in ſtatu Naturæ lapſæ nunquàm reſiſtitur.

Tertia: Ad merendum, & demerendum in ſtatu Naturæ lapſæ, non requiritur in Homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.

Quarta: Semipelagiani admittebant præuenientis Gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant Hæretici, quod vellent eam Gratiam talem eſſe, cui poſſet Humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.

Quinta: Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omninò Hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.

NOS, quibus inter multiplices curas, quę animum noſtrum aſſiduè pulſant, illa in primis cordi eſt, vt Eccleſia Dei Nobis ex Alto commiſſa, purgatis prauarum Opinionum erro-

Digitized by Google

erroribus, tutò militare, & tanquàm Nauis in tranquillo Mari, sedatis omnium tempestatum fluctibus, ac procellis, securè nauigare, & ad optatum salutis Portum peruenire possit.

Pro rei grauitate, coram aliquibus S.R.E. Cardinalibus ad id specialiter sæpiùs congregatis, à pluribus in Sacra Theologia Magistris, easdem Quinque Propositiones, vti suprà Nobis oblatas, fecimus singillatim diligenter examinari, eorumque suffragia, tum voce, tum scripto relata maturè considerauimus, eosdemque Magistros, varijs coram Nobis actis Congregationibus, prolixè super eisdem, ac super earum qualibet differentes audiuimus.

Cum autem ab initio huiusmodi discussionis ad Diuinum implorandum Auxilium multorum Christi fidelium preces, tùm priuatim, tùm publicè indixissemus, postmodum iteratis eisdem feruentiùs, ac per Nos sollicitè implorata Sancti Spiritus Assistentia, tandem, Diuino Numine fauente, ad infrascriptam deuenimus Declarationem, & Definitionem.

Primam prædictarum Propositionum: *Aliqua Dei præcepta Hominibus Iustis volentibus, & conantibus secundum præsentes, quas habent Vires, sunt impossibilia, deest quoque illis Gratia, qua possibilia fiant*: Temerariam, Impiam, Blasphemam, Anathemate damnatã, & Hæreticam declaramus, & vti talem dãnamus.

Se-

Secundam: *Interiori Gratiæ in statu Naturæ lapsæ nunquam resistitur*; Hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.

Tertiam: *Ad merendum, & demerendum in statu Naturæ lapsæ non requiritur in Homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à Coactione*: Hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.

Quartam: *Semipelagiani admittebant præuenientis Gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei, & in hoc erant Hæretici, quòd vellent eam Gratiam talem esse, cui posset humana Voluntas resistere, vel obtemperare*: Falsam, & Hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.

Quintam: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse aut Sanguinem fudisse*; Falsam, Temerariam, Scandalosam; & intellectam eo sensu, vt Christus pro salute dumtaxat Prædestinatorum mortuus sit: Impiam, Blasphemam, Contumeliosam, Diuinæ Pietati Derogantem, & Hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.

MANDAMVS igitur omnibus Christi fidelibus vtriusque sexus, ne de dictis Propositionibus sentire, docere, prædicare aliter præsumant, quàm in hac præsenti nostra Declaratione, & Definitione continetur, sub censuris, & pœnis contra Hæreticos, & eorum fautores in iure expressis.

PRÆCIPIMVS pariter omnibus Patriarchis,

chis, Archiepiscopis, Episcopis,aliisque locorum Ordinariis,nec non Hæreticæ prauitatis Inquisitoribus, vt Contradictores, & Rebelles quoscumque per censuras, & pœnas prædictas,cæteraque iuris,& facti remedia opportuna, inuocato etiam ad hoc (si opus fuerit) Auxilio Brachii sæcularis, omnino coerceant, & compescant.

Non intendentes tamen per hanc Declarationem, & Definitionem super prædictis Quinque Propositionibus factam,approbare vllatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelii Iansenii. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio, pridie kal.Iunii, Pontificatus Nostri Anno Nono,

Hi, Datarius.

G, Gnalterius.
P. Ciampinns.

Anno à Natiuitate D. N. Iesu Christi millesimo sexcētesimo quinquagesimo tertio, Indictione sexta, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Innocentii Diuina Prouidentia Papæ X. Anno eius Nono, die verò nona mensis Iunii supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit in Ecclesiæ Lateranen.ac Basilicæ Prin-

ci-

cipis Apostolorum de Vrbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ valuis, in acie Campi Floræ per me Hieronymum Mascellam SS. D. N. Papæ Cursorem.

Pro D. Mag. Cursorum P. Paulus Desiderius Cursor.

S. D. N.

INNOCENTII Diuina Prouidentia Papæ X.

Decretum, quo damnat iteratò Augustinum Cornelii Iansenii, simulque Libros omnes ad eiusdem defensionem editos, & edendos; ac denique fidem abrogat quibusdam prætensis actis coram Clemente VIII. & Paulo V. simulque Pseudo-Bullæ Pauli V. contra Doctinam Ludouici Molinæ.


Feria 5. Die 23. Aprilis 1654.

In Congregatione generali Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctiss. D. N. Innocentio Diuina prouidentia Papa X. ac Eminentiss. & Reuerendiss. DD. S. Romanæ Ecclesię Cardinalibus ;in; Vniuersa Republica Chri-
stiana

ſtiana cõtra hæreticam prauitatem Inquiſitoribus Generalibus à Sanctâ Sedę Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

SAnctiſſimus D. N. Innocentius Papa X. poſt condemnatam ſua Conſtitutione edita Pridie kalen. Iunii anni Incarnationis Dominicæ 1653. in quinque Propoſitionibus Auguſtini Cornelii Ianſenii Epiſcopi Ipren. Doctrinam, Ne occaſione Doctrinæ prædictæ in mentes Chriſti fidelium aliquod dubium, vel error irrepat, eundem Auguſtinum Cornelii Ianſenii; &c. iteratò, vnà cum aliis infraſcriptis libris, prohibet & damnat, eoſque pro damnatis, & prohibitis haberi voluit, ſub pœnis & cenſuris in Indice Librorum prohibitorum contentis, aliiſque arbitrio Sanctitatis ſuæ infligen.

Nemo igitur cuiuſcumque gradus, & conditionis exiſtat, etiam ſpeciali, ſeu ſpecialiſſima nota dignus, libros infraſcriptos, aut aliquem ex illis apud ſe retinere, legere, imprimere, vel imprimi curare audeat; ſed ſtatim à præſentis Decreti notitia, quicumque illos habuerit, locorum Ordinariis, ſeu Inquiſitoribus, conſignare teneatur, ſub pœnis, & cenſuris prædictis.



Elen-

Elenchus Librorum.

CORnelij Ianſenij, Epiſcopi Ipren. Auguſtinus Louanii, Pariſiis, Rothomagi, ſiue quocumque alio in loco, ſeu idiomate impreſſus.

Eiuſdem Parallellus errorum Maſſilienſiū, & quorundam Recentiorum.

Cornelij Ianſenij &c. Laudatio funeralis, dicta à F. Ioanne à Lapide. Louaniij Typis Bernardini Maſij,

Humilis & ſupplex Querimonia Iacobi Zegers aduerſus libellum R. P. S. T. Regiæ Capellæ Bruxellis concionat. & Theſes PP. Societatis, apud Iacobum Zegers 1, 2. & 3, ſeu alterius editionis.

Auguſtini Hipponenſis, & Auguſtini Iprenſis de Deo omnes ſaluare volente Homologia &c. Louanii apud Iacobū Zegers.

Epiſtola Liberti Fromondi, & Henrici Caleni. Louanij 16. Iunii 1641. &c. quæ incipit: Theſes veſtras.

Somnium Hipponenſe, ſiue de Controuerſijs &c. Relatore Philetimo S. T. Baccalaureo formato. Pariſiis anno 1641.

Liberti Fromondi S. T. Doctoris Breuis Anatomia Hominis. Louanii apud Iacobum Zegers anno 1641.

Conuentus Africanus, ſiue diſceptatio Iudicialis apud Tribunal Præſulis Auguſtinini, &c. enarratore Artemidoro Oneirocritico,

tico,

tico. à Rouen, chez Nicolas de la Montagne anno 1641.

Memorial au Roy, quod incipit Iean Iansenius Champine &c.& finit; contra illa duo Decreta Summorum Pontificum.

Attestatio Notarialis, quæ incipit: Ego infrascriptus, & finit: Petrus Mintart Notarius.

Approbatio sub nomine nonnullorum Theologorum ex varijs Religionibus, tam Ordinum Monachalium, quam Mendicantium; Necnon Archiepiscopi Philippensis, aliorumq; Theologorum Clericorum sæcularium Doctrinæ Cornelij Iansenij in dicto libro, Augustinus, contentæ, quæ incipit: Quid sentiendum sit de doctrina in opere Reuerendissimi D. Cornelij Iansenij Episcopi Ipren. fel. mem: nuncupat. Augustinus, & finit: & me publico, & Apostolico, & dictæ Vniuersitatis Notario, & Scriba iurato. Quod attestor Petrus Mintart Notarius.

Crysippus de libero arbitrio. Louanii 1644.

Memorialia per Deputatos Academię Louaniensis exhibita Romæ Summis Pontificibus Vrbano VIII. & Innocentio X. Pro Doctrina B. Augustini manutenenda, &c. anno 1644.

Nouus Prosper contra Nouum Collatorem. Louanii 1647.

Collatio Antuerpiensis ad Petrum Aurelium, Louanij 1647.

Vin-

Vincentij Lenis Theriaca aduersus Petauium,& Riccardum de libero arbitrio. Lutetiæ Parisiorum 1648.

Eiusdē Epistola Prodroma.Louanii 1649.

Apologie de monsieur Iansenius Euesque d'Ipre, e de la Doctrine de S.Augustin expliqueè dans son liure intitulè Augustinus, &c. 1644.

Secunde Apologie pour Monsieur Iansenius Euesque d'Ipre, & pour la Doctrine de S.Augustin expliqueè dans son liure intitulè Augustinus 1645.

Examen libelli, cui titulus est: Propositiones excerptæ ex Augustino Reuerendissimi D. Cornelij Iansenij Episcopi Iprensis, quæ in specimen exhibentur suæ Sanctitati. Louanij 1646.

Response à vn escrit qui a pour tiltre, Aduis donne en Amy à vn certain Ecclesiastique de Louuain,au suiet de la Bulle du Pape Vrbain VIII.qui condamne le liure portant le tiltre, Augustinus Cornelii Iansenii.

Planctus Augustinianæ Veritatis in Belgio patientis, Louanij 1649.

Ioannis Martinez de Ripalda è Societate Nominis Iesu Vulpes capta,per Theologos S. Facultatis Academiæ Louanien. Anno 1646.

Considerations sur la Lettre composeè par M. l'Euesque de Vabre, pour estre enuoyèe au Pape en son nom, & de quelques autres Prelats, &c. 1651.

De la Grace Victorieuse de Iesu Christ, ou Molina, & ses Disceples conuaincus de l'erreur des Pelagiens, & des Semi-pelagiens. à Paris 1651.

Vtrum sit damnandus Iansenii Augustinus. Incipit: Nullo iure. Finit: Non potest damnari Iansenius nisi ridente Pelagio. plorante Augustino. Humilis Romanus, &c.

Rationes ob quas Illustrissimus, & Reuerendissimus D. Archiepiscopus Michlinienſis à promulgatione Bullæ, qua proscribitur liber, cui titulus: Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Augustinus 1649. quocumque idiomate impressæ.

Raisons pour lesquelles on n'a trouué conuenir de publier au Dioceses de Gand auec le solemnite accoustumee, certaine Bulle contre le liure du defunt Euesque d'Ipre Iansenius representees par Monseigneur le Reuerendissime Euesque de Gand 1649.

Defensio Belgarum contra Euocationes Causarum, & Peregrina Iudicia 1. 2. seu alterius editionis.

Ius Belgarum circa Bullarum Pontificiarum Receptiones, 1. 2. seu alterius editionis.

Catechismus de Gratia quocumque idiomate sit editus.

Synopsis veræ Catholicæque Doctrinæ de Gratia, & annexis Quæstionibus ad Catechis-

techismum de Gratia, Auctore Samuele Maresio Groningæ 1651.

Distinction Abbregeé des cinq Propsitions, qui regardent la matiere de la Grace, laquelle a esté presentee en Latin à Sa Sainteté par les Theologiens, qui sont à Rome pour la deffense de la Doctrine de S. Augustin, où l'on voit clairement en trois colomnes les diuers sens, que ces propositions peuuent receuoir, & les sentimens des Caluinistes, & des Lutheriens, des Pelagiens, & des Molinistes, de Saint Augustin, & de ses Disciples 1653. siue libellus, cui titulus:

Breuissima quinque propositionum in varios sensus distinctio, apertaque de iis tũ Pelagianorum, & Molinistarum, tum Sancti Augustini eiusque Discipulorum sententia. Siue Typis, siue scripto extet.

Philosophia Moralis Christiana Auctore Ioanne Camerario Presbytero. Andegaui 1652,

Theologie familiere ou Instruction de ce que le Chrestien doit croire & faire en ceste vie pour estre sauue, Auctore Iean du Vergier Abbe de S. Cyran. cuiuscumque editionis illa sit.

Abbate S. Cirano. sua Teolog. proib.

Lettre de Iean de Labadie à ses Amis, &c. A Montaban, 1651.

Priere pour demander à Dieu la grace d'vne veritable, & perfaite conuersion.

Iusta damnatio quinque Propositionum Iansenii studiũ Marci Ferri. Venetiis 1653.

Responſe à vn Sermon prononcè par le P. Briſacier Ieſuite à Blois le 29. Mars 1651.

Lucerna Auguſtiniana, qua breuiter & dilucidè declaratur Concordia & Diſcordia, qua duo nuper ex DD. Doctores S. Thom. Duacen. conueniunt aut recedunt à cæteris hodie S. Auguſtini Diſcipulis. ſine nomine Auctoris, & loco Impreſſionis.

Emunctorium Lucernæ Auguſtinianæ, quo Fuligines à quibuſdam aſperſæ emunguntur.

Lettre Paſtorale de Monſieur l'Archeueſque de Sens pour la publication de la Conſtitution de Noſtre Saint Pare le Pape, donneè à Rome le trente-vnieſme May dernier, &c. Imprimee par le commandement de Mont-dit Seigneur.

Ordinance de Monſeigneur l'Eueſque de Cominges ſur la publication qu'il à faite dans le Synode Dioceſain de Cominges le 9. d'Octobre 1653. de la Conſtitution de Noſtre Saint Pere le Pape Innocent. X. portans Cenſure de cinq propoſitions touchant la Grace, & lè Franc-arbitre.

Samuelis Mareſii Apologia Nouiſſima pro S. Auguſtino, Ianſenio, & Ianſeniſtis contra Pontificem, & Ieſuitas. Groningæ anno 1654.

Les Enluminures du Fameux Almanach des PP. Ieſuites, intitule La Deroute, & la Confuſion des Ianſeniſtes.

Memoire ſur le deſſein, qu'ont les Ieſui-

tes

tes de faire retomber la Cenſure des cinq propoſitions ſur la veritable doctrine de S. Auguſtin ſous le nom de Ianſeuius-ſine nomine Auctoris,& loco impreſſionis.

Reſponſe au P.Annat Prouincial des Ieſuites, touchant les cinq propoſitions attribuees à M.l'Eueſque d'Ipre,diuiſee en deux Parties, ſine nomine Auctoris, & loco impreſſionis 1654.

Item omnes, & quicumque libri, libelli, Epiſtolæ, tã impreſſi,quàm manuſcripti ſeu impoſterum edend. & publicand. in quibus Doctrina Auguſtini Cornelii Ianſenii Epiſcopi Iprenſis in prædictis quinque propoſitionibus damnata approbatur, aut aſſeritur, quocumque idiomate ſcripti,ſiue editi ſint.

Cæterùm cùm tam Romæ, quàm alibi circumferantur quædam aſſerta Acta manuſcripta, & forſan Typis excuſa, Congregationum habitarum coram fæl. record. Clement.VIII. ac Paulo V. ſuper quæſtione de Auxiliis Diuinæ Gratię, tam ſub nomine Franciſci Pegnæ olim Rotæ Romanæ Decani, quam Fratris Thomæ de Lemos Ordinis Prædicatorum, aliorumque Prælatorum, & Theologorum, qui, vt aſſeritur; prædictis interfuerunt Congregationibus. Necnõ quoddam Autographum ſiue exẽplar cuiuſdam aſſertæ Conſtitutionis eiuſdẽ Pauli V. ſuper definitione prædictæ Quæſtionis de Auxiliis, ac damnationis ſenten-

Digitized by Google

tiæ, seu sententiarum Ludouici Molinæ Societatis Iesu, eadem Sanctitas Sua præsenti hoc Decreto declarat, ac decernit prædictis assertis Actis, tam pro sententia Fratrum Ordinis S. Dominici, quam Ludouici Molinę, aliorumque Societatis Iesu Religiosorum & Auctographo, siue exemplari prædictę assertæ Constitutionis Pauli V. nullam omninò esse fidem adhibendam, neque ab alterutra parte, seu à quocumque alio allegari posse, vel debere, sed super quæstione prædicta, obseruanda esse Decreta Pauli V. & Vrbani VIII. suorum prædecessorum.

esse fidem adhibendam.

Ioan. Antonius Thomasius S. Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis Not.

Anno à Natiuitate D.N.Iesu Christi millesimo sexcentesimo quinqnagesimo quarto, Indictione septima, die vero vigesima septima Aprilis, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D.N.D.Innocentii Diuina prouidentia Papæ X. anno eius decimo, supradictæ litteræ Apostolicæ, siue decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Basilicæ S. Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apostolicæ, atque in acie Campi Floræ, vt moris est, per me Hieronymum Mascellam, eiusdem S. D. N. Papæ, & S. Romanæ Inquisitionis Curs.

CA-

CAPVT XVIII.

Decreta Alexandri Septimi, tam in causa errorum Cornelij Iansenij, quam in alijs causis.

S. D. N. ALEXANDRI DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ VII.

Confirmatio, Approbatio, Innouatio, & Declaratio Constitutionis INNOCENTII X. de Quinque Propositionibus in materia Fidei.



Lexander Episcopus Seruus Seruorum Dei Vniuersis Christi fidelibus Salutem, & Apostolicam Benedictionem, Ad sacram Beati Petri Sedem, & Vniuersalis Ecclesiæ regimen inscrutabili Diuinæ prouidentiæ dispositione, nullis nostris suffragantibus meritis euecti nihil Nobis antiquius ex muneris nostri debito esse duximus, quã vt Sanctæ fidei nostræ, ac sacrorum dogmatum integritati, tradita Nobis à Deo potestate opportunè consuleremus. Ac licèt ea quæ Apostolicis Constitutionibus abundè fue-

Digitized by Google

fuerunt definita, nouæ deciſionis ſiue declarationis acceſſione nequaquam indigeant; quia tamen aliqui publicæ tranquillitatis perturbatores illa in dubium reuocare, vel ſubdolis interpretationibus labefactare non verentur, ne morbus iſte latius diuagetur, promptum Apoſtolicæ Auctoritatis remedium cenſuimus non eſſe differendum. Emanauit ſiquidem aliàs à felicis recordationis Innocentio PP. X. Prædeceſſore noſtro Cõſtitutio, Declaratio, & Definitio tenoris qui ſequitur, videlicet:

Innocentius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei Vniuerſis Chriſti-fidelibus Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum occaſione Impreſſionis libri, cui Titulus, Auguſtinus Cornelij Ianſenii Epiſcopi Iprenſis (*ſequitur tenor Bullę Innocentij X. quam ſupra lector inueniet.*)

Cum autem, ſicut accepimus, nonnulli iniquitatis filii prædictas Quinque Propoſitiones, vel in libro prædicto eiuſdem Cornelij Ianſenii non reperiri, ſed fictè & pro arbitrio compoſitas eſſe, vel non in ſenſu ab eodem intento damnatas fuiſſe, aſſerere magno cum Chriſti fidelium ſcandalo non reformident; Nos qui omnia, quæ hac in re geſta ſunt, ſufficienter & attentè perſpeximus, vtpotè qui eiuſdem Innocentii Prædeceſſoris iuſſu, dum adhuc in minoribus conſtituti Cardinalis munere fungeremur, omnibus illis congreſſibus interfuimus, in qui-

Cum autem quidam dicant prædictas quinque propositiones non reperiri in lib Jansenij, et non damnatas fuisse in sensu ab eodem intento

Digitized by Google

bus Apoſtolica Auctoritate, eadem cauſa, diſcuſſa eſt ea profectò diligentia qua maior deſiderari, non poſſet: quamcumque dubitationem ſuper præmiſſis impoſterum auferre volentes, vt omnes Chriſti fideles in eiuſdem fidei vnitate ſeſe contineant, ex debito noſtri Paſtoralis Officii, ac matura deliberatione præinſertam Innocentii Prædeceſſoris noſtri Conſtitutionem, Declarationem, & Definitionem harum ſerie Confirmamus, Approbamus, & Innouamus, & Quinque illas propoſitiones ex libro præmemorati Cornelii Ianſenii Epiſcopi Iprenſis, cui titulus eſt Auguſtinus excerptas, ac in ſenſu ab eodem Cornelio Ianſenio intento damnatas fuiſſe Definimus, & Declaramus, vti tales, inuſta ſcilicet eadem ſingulis nota, quæ in prædicta declaratione, & definitione vnicuique illarum ſigillatim inuritur, iterum damnamus ac eundem librū ſæpè dicti Cornelii Ianſenii, cui titulus Auguſtinus, omneſque alios tam manuſcriptos, quam typis editos & ſi quos forſan impoſterum edi cōtigerit, in quibus prædicta eiuſdem Cornelii Ianſenii doctrina, vt ſupra damnata defenditur vel adſtruitur, aut defendetur & adſtruetur, damnamus itidem atque prohibemus. Mandantes omnibus Chriſti-fidelibus ne prædictam doctrinam teneant, prædicent, doceant, verbo vel ſcripto exponant, vel interpretentur publicè vel priuatim, palam vel occultè, imprimantue ſub

pœ-

Digitized by Google

pœnis & censuris contra Hæreticos in Iure expressis, ipso facto absque alia declaratione incurrendis. Præcipimus igitur omnibus Venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque Locorum Ordinariis, ac Hæreticæ prauitatis Inquisitoribus, ac Iudicibus Ecclesiasticis ad quos pertinet, vt præinsertam eiusdem Innocentii Prædecessoris Constitutionem, Declarationem, ac Definitionem iuxta præsentem nostram determinationem ab omnibus obseruari faciant, ac inobedientes & rebelles prædictis pœnis aliisque iuris, & facti remediis, inuocato etiam si opus fuerit brachii sæcularis auxilio, omninò coerceant. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, Anno Incarnationis Dominicę millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, decimo-septimo Kal. Nouembris, Pontificatus nostri Anno secundo.

I. Card. Prodat. *G. Gualterius.*

P. Ciampinus.

Loco ✝ Plumbi.

Visa de Curia P. CIAMPINVS. Registrata in Secretaria Breuium.

A tergo verò. In nomine Domini Amen. Anno à Natiuitate eiusdem Domini nostri

Digitized by Google

stri Iesu Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, Indictione nona, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Alexandri Diuina Prouidentia Papæ Septimi, Anno eius secundo, Die veró septima Mensis Nouembris retroscriptæ litteræ sub plumbo expeditæ affixæ fuerunt ad Valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, Cancellariæ Apostolicæ, ac aliis locis solitis, & consuetis Vrbis, per me Petrum Paulum de Grassis Apostolicum Cursorem.

Pro Magistro Cursorum Iacobus *Cornelius Cursor.*

S. D. N.
ALEXANDRI Diuina Prouidentia PP. VII. Constitutio continens formulam subscribendi Decretis Pontificum aduersus hæreses Cornelii Iansenii.

ALEXANDER EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei.

Ad Perpetuam rei memoriam.

REgiminis Apostolici Diuina Prouidentia nobis quamuis immeritis commis-

si

ſi ratio poſtulat, vt ad ea potiſſimum, quæ Catholicæ Religionis integritati, & propagationi, animarumque ſaluti, & Fidelium tranquillitati conſulere apta, & idonea eſſe iudicantur, animum & curam omnem, quantum licet in Domino applicemus. Quamobrem Cornelii Ianſenii hæreſim, in Galliis præſertim ſerpentem, ab Innocentio X. felicis recordationis Prædeceſſore noſtro feré oppreſſam ad inſtar colubri tortuoſi, cujus caput attritum eſt, in varios gyros, & cavillationum defluctus euntem, ſingulari Conſtitutione ad hunc finem edita, altero aſſumptionis noſtræ anno extinguere conati fuimus. Sed vt multiplices hoſtis hominum generis artes adhibet, nondum plenè conſequi potuimus, vt omnes errantes in viam ſalutis redirent, qui tamen vnicus erat votorum, & curarum noſtrarum ſcopus, quibus operam, & induſtriam ſuam egregio ſanè ſtudio venerabiles Fratres noſtri Archiepiſcopi, & Epiſcopi Regni Galliæ, earundem Conſtitutionum Apoſtolicarum executioni præcipuè intenti contulerunt; & cariſſimus in Chriſto Filius noſter Rex Chriſtianiſſimus, ſingulari pietate auxiliarem dexteram ſtrenuo, ac conſtantiſſimo animo porrexit. Cùm autem præfatus Rex Chriſtianiſſimus eodem religionis zelo, ductus, per ſuum In Vrbe Oratorem nobis ſignificari exponique curauerit, nullum aliud opportunius remedium peſtiferæ hujus contagionis reliquiis ex-

extirpandis adhiberi posse, quàm si omnes certam Formulam subscriberent nostra auctoritate firmatam, in qua quinque propositiones ex Cornelij Iansenii libro, cui titulus, *Augustinus*, excerptas sincerè damnarent, ac proinde illam à Nobis quantociùs expediri, ad quælibet effugia præcludenda, omnesque remouendos obtentus flagitauerit. Nos tam piis dicti Regis Christianissimi votis benignè annuendum esse ducentes, Formulam infràscriptam ab omnibus Ecclesiasticis etiam venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopis, & Episcopis, nec non alijs quibuscumque Ecclesiastici ordinis, tã Regularibus, quam Secularibus, etiam Monialibus, Doctoribus, & Licentiatis, alijsque Collegiorum Rectoribus atque Magistris subscribi districtè mandamus, idque intra tres menses à die publicationis, seu Notificationis Præsentium; aliàs contra eos, qui intra terminum præfatum non paruerint, irremissibiliter procedi volumus iuxta Canonicas Constitutiones, & Conciliorum Decreta.

FORMVLA

A supradictis subscribenda.

EGO N. Constitutioni Apostolicæ Innocentij X. datę die 31. Maii 1653. & Constitutioni Alexandri VII. datæ 16. Octobris 1656.

formula

1656. Summorum Pontificum, me subiicio, & quinque propositiones ex Cornelii Iansenii libro, cui nomen *Augustinus* excerptas, & in sensu ab eodem Auctore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnauit, sincero animo reijcio, ac damno, & ita iuro. Sic me Deus adiuuet; & hæc sancta Dei Euangelia.

Decernentes insuper præsentes Litteras semper, & perpetuò validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenos & integros effectus sortiri, & obtinere, sicque per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, vbique iudicari, & definiri debere, sublata, eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ac irritum, & inane esse, si secus super his à quocumque quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca, venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque locorum ordinariis committimus, & mandamus, vt singuli in suis Diœcesibus, ac locis suæ iurisdictioni subiectis, præsentes Litteras, & in eis contenta, quæcumque exequantur, & exequi ac obseruari ab omnibus curent, & inobedientes quoscumque per Sententias, Censuras, & pœnas, aliaque iuris, & facti remedia, appellatione postposita, inuocato etiã adhoc, si opus fuerit, brachii secularis auxilio, omnino compellant. Volumus autem, vt præsentium transumptis, etiam impressis, manu

No-

Notarii publici subscriptis,& sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutę munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis Originalibus Litteris adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostrã Constitutionem, & Ordinationem infringere, vel ei ausu temerario contraire.Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotens Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romę apud S.Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicę 1664, 15. kal. Martii Pontificatus nostri anno decimo.

I. Cardinalis Prodatarius S. Vgolinus.

Visa de Curia P. Ciampinus.

Anno à Natiuitate D. N. Iesu Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo quinto, indictione tertia die verò 27. Mensis Februarii, Pontificatus autem in Christo Patris S.D.N.D. Alexandri Diuina Prouidẽtia Papæ VII. eius anno vndecimo,] retroscriptæ Litteræ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicæ, Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Vrbis, per me Stephanum Viualdum. Cursorem Apostolicum.

S. D. N.

ALEXANDRI

Diuina Prouidentia Papa VII.

Decretum aduersus litteras Prouinciales Ludouici Montalti.

Feria 5. Die 6. Septembris 1657. in Congregatione generali S. Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico apud S. Mariam Maiorem, coram Sanctiss. D. N. Alexandro, Diuina Prouidentia Papa VII. ac Eminentissimis, & Reuerendissimis DD. S.R.E. Cardinalibus in vniuersa Republica Christiana contra hæreticam prauitatem Inquisitoribus generalibus, à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

SAnctiss. D. N. Alexander Papa VII. præsenti Decreto prohibet & dānat Libros infrascriptos, eosque pro damnatis, & prohibitis haberi voluit, sub pœnis, & censuris in Sacro Concilio Tridentino, & in Indice librorum prohitorum contentis, aliisque arbitrio Sanctitatis suæ infligendis.

ELEN-

ELENCHVS LIBRORVM.

Decem & octo Epiſtolæ Gallico Idiomate conſcriptæ, quarum prior inſcribitur.

Lettre eſcrite à un Provincial par un de ſes Amis ſur le ſujet des diſputes preſentes de la Sorbonne de Paris ce 23. Ianuier 1656. incipit; Monſieur, Nous eſtions bien abuſez.

2 Seconde lettre, &c. de Paris ce 29. Ianvier 1656. incipit: Monſieur, Comme je fermois, &c.

3 Troiſieſme lettre, &c. de Paris ce 9. Febrvrier 1656, incipit; Monſieur, Ie viens de recevoir, &c,

4 Quatrieſme lettre, &c. de Paris le 25. Febrvrier 1656. incipit: Monſieur, Il n'eſt rien tel, que, &c,

5 Cinquieſme lettre &c. de Paris le 20. Mars 1656. incipit: Monſieur, Voicy ce que je vous ay promis, &c.

6 Sixieſme lettre de Paris ce 10. Avril 1656. incipit: Monſieur, Ie vous ay dit, &c,

7 Septieſme lettre, &c. de Paris ce 25. Avril 1656. incipit: Monſieur, apres avoir appaiſé, &c.

8 Huitieſme lettre, &c. de Paris ce 28. May 1656. incipit: Monſievr, Vous ne penſiez pas, que perſonne, &c.

9 Neuvieſme lettre, &c. de Paris, ce 3. Iuil-

Iuillet 1656. incipit: Monsieur, Ie ne vous feray pas plus, &c.

10 Dixiesme lettre, &c. de Paris ce 2. Aoust 1656. incipit : Monsieur, ce n'est pas encor icy, &c.

11 Onziesme lettre escrite par l'Auteur des lettres au Provincial, aux Reverends Peres Iesuistes, du 18. d'Aoust 1656. incipit Mes Reverends Peres, j'ay veu les lettres, que vous, &c.

12 Douziesme lettre, &c. du 9. Septembre 1656. incipit : Mes Reverends Peres, j'estois prest à vous escrire, &c.

13 Treziesme lettre, &c. du 30. Septembre 1656. incipit: Mes Reverends Peres, je viens de voir vostre dernier escrit, &c.

14 Quatorziesme lettre, &c. du 23. Octobre 1656. incipit: Mes Reverends Peres, Si je n'avois que respondre, &c.

15 Quinziesme lettre, &c. du 25. Novembre 1656. incipit puisque vos impostures croissent, &c.

16 Seiziesme lettre, &c. du 4. Decembre 1656. incipit : Mes Reverends Peres, voicy la suite de vos calomnies.

17 Dixseptiesme lettre, escrite par l'Auteur des lettres au Provincial, au Reverend. P. Annat Iesuite, ce 23. Ianvier 1657. incidit: Mon Reverend Pere, vostre procedè m'avoit, &c.

18 Dixhuitiesme lettre au Reverend Pere Annat Iesuite, sur la copie imprimée à Cou-

à Couloigne le 24. Mars 1657. incipit: Mon Reverend Pere, il y a long-temps que vous, &c.

Lettre d'vn Advocat au Parlement à vn de ses amis, touchant l'Inquisition, qu'on veut establir en France, à l'occasion de la nouvelle Bulle du Pape Alexandre VII. à Paris le 1. Iuin 1657. incipit: Monsieur Vous croyez que toutes vos affaires, &c.

Antonij Arnaldi Doctoris, & Socij Sorbonici, opera sequentia. Libri prohibiti M. Arnold.

Lettre de Monsieur Arnauld Docteur de Sorbonne, à une personne de condition, sur ce qui est arrivé depuis peu dans une des Paroisses de Paris à vn Seigneur de la Cour 1. let

Seconde lettre de Monsieur Arnauld, Docteur de Sorbonne, à vn Duc, & Pair de France, pour servir de response à plusieurs escrits, qui ont esté publiez contre sa premiere lettre, sur ce qui est arriué à un Seigneur de la Cour dans une paroisse de Paris. 2 let.

Epistola & scriptum ad Sacram facultatem Parisiensem in Sorbona congregatam die 6. Decembre 1655. 3 1655

Scripti pars altera ad sacram facultatem Parisiensem in Sorbona congregatam die 10. Decembris 1655. 4 1655

Epistola, & alter Apologeticus ad sacram facultatem Parisiensem in Sorbona congregatam die 17. Ianuarij anni 1656. 5 1656

Epistola inscripta, Viro sapientissimo Hē- 6

rico Holdeno, sacræ facultatis Parisiensis Doctori, incipiens: Ea temporum conditione, &c.

Vera S. Thomæ de gratia sufficienti, & efficaci doctrina dilucidè explanata.

Propositiones Theologicæ, de quibus hodie maximè disputatur, clarissimè demonstratæ.

Tabulæ suffragiales de terminandis fidei litibus, ab Ecclesia Catholica fixæ, Authore Thoma Anglo ex albijs East-Saxone.

Tesseræ ψευδονυμ Romanæ euulgatio, eodem Authore, &c.


Et quia circumferuntur quædam folia impressa anno 1657. quorum titulus est, *Tredecim Theologorum ad examinandas quinque Propositiones ab Innocentio X. selectorum suffragia, seu vt appellant vota summo Pontifici scripto tradita*; Eadem Sanctitas sua præsenti hoc decreto illa prohibet, & declarat, ac decernit, ijs tanquam apocryphis nullam fidem esse adhibendam, nec à quocumque allegari posse, vel debere; Et præterea Epistolas, libellos, ac libros alios quoscumque, in quibus doctrina Cornelij Iansenij Episcopi Iprensis in quinque Propositionibus per Constitutiones Innocentij prædecessoris, & Sanctitatis suæ damnata, asseritur, aut quomodolibet approbatur, vel defenditur; tam impressos, quàm imprimendos quocumque idiomate, vel quomodolibet etiam in scriptis euulgatos, vel in futurum euulgan-

gandos, Sanctitas sua omninò damnat, & prohibet, ac damnatos, & prohibitos esse voluit, mandans, vt nemo cuiuscumque gradus, & conditionis existat, etiam speciali, seù specialissima nota dignus libros prædictos, aut aliquem ex illis apud se retinere, legere, aut imprimere, aut imprimi curare audeat, sub pœnis, & censuris contra huiusmodi delinquentes statutis, sed statim quicumque illos habent, vel in futurum quandocumque habebunt, locorum Ordinarijs, seù inquisitoribus sub ijsdem pœnis exhibere teneantur.

Insuper cùm hac occasione, & prætextu in lucem prodeant plures libri continentes, & tractantes materiam de Auxiliis, nulla prorsùs petitâ, vel obtentâ licentiâ ab hac sacra Congregatione; contra formam Decretorum Pauli V. & Vrbani VIII. prædecessorum suorum, (quæ quatenus opus sit, Sanctitas sua denuò confirmat, innouat, & inuiolabiliter obseruari mandat, sub censuris, & pœnis in eisdem contentis) ideó illis inhærendo, dictos libros editos, & in futurum quomodolibet edendos, absque eo quòd fiat de illis specialis mentio, ipso facto, absque alia declaratione pro expressè prohibitis haberi voluit, & decreuit.

Ioannes Lupus Sanctæ Romanæ & Vniuersalis Inquisitionis Not.

Anno à Natiuitate D. N. Iesu Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo septimo, Indictione decima, die verò decima quinta mensis Septembris Pontificatus sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Alexandri Diuina prouidentia Papæ VII. Anno eius tertio, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Basilicarum S.Ioan. Lateranens. & S. Petri de Vrbe, nec non ad valuas palatii sacræ Inquisitionis, Cancellariæ Apostolicæ, ac in Acie Campi Floræ, vt moris est, per me Hieronymum Macellam, eiusdem Sanctissimi D. N. Papæ, & sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.



S.D.N.

Digitized by Google

S. D. N.

ALEXANDRI

Diuina Prouidentia Papæ VII.

Constitutio, quà damnatur gemina Censura Parisiensis contra varias propositiones de auctoritate Pontificis Romani, &c. de actionum moralium regula, &c.

ALEXANDER

EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

CVM ad aures nostras perueniret duos prodijsse libros, quorum alteri titulus est. Censura Sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis in librum, cui titulus est: La Deffense de l'authorité de N. S. P. le Pape, de Nosseigneurs les Cardinaux, les Archeuesques, & Euesques, & de l'employ des Religieux mendians, contre les erreurs de

ce

temps. Par Iacques de Vernant, à Mets, 1658. Alteri verò titulus eſt:Cenſura Sacræ Facultatis Theologiæ Pariſienſis in librum, cui titulus eſt: Amadæi Guimenij Lomarenſis, olim primarij ſacræ Theologiæ profeſſoris opuſculum, ſingularia vniuerſæ ferè Theologiæ moralis complectens: aduerſùs quorundam expoſtulationes contrà nonnullas Ieſuitarum opiniones morales ad Tractatus de peccatis; de opinione probabili, &c. Editio nouiſſima, &c. Lugduni ſumptibus Phil. Borde, Laurentij Arnaud, Petri Borde, & Guillelmi Barbier 1664. cum approbatione, & Superiorum permiſſu. Pariſijs 1665. in quibus libris cenſura præſumptuoſa notantur aliquæ propoſitiones eæquè prçſertim, quæ ad Romani Pontificis, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ auctoritatem, Epiſcoporum iuriſdictionem, Parochorum munus, Priuilegia à Sancta Sede conceſſa, Diſpenſationes Apoſtolicas, actionumquè moralium regulam pertinent, & aliæ, quæ & grauiſſimorum Scriptorum auctoritate, & perpetuo Catholicorum vſu nituntur. Et cum fieri non poſſit ſinè publico Catholicę Religionis detrimento, vt prædictæ cenſuræ in commemoratis libris ſinè debita Eccleſiæ animaduerſione, & damnatione remaneant.

Nos pro Apoſtolico munere, quò licèt immeriti fungimur, vt grauiſſimo ſcan-

dalo,

dalo, quod indè Catholicis accidere posset, occurramus; Habitis prius doctissimorum, ac insignium in Sacra Theologia Magistrorum, ac Professorum, ac sacrarum Sedis Apostolicæ Congregationum Qualificatorum, quos ad hæc specialiter deputauimus consultationibus, vt rei grauitas videbatur postulare; Necnon auditis suffragijs venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium in tota Republica Christiana generalium Inquisitorum, Motu proprio, & ex certa scientia nostra, dequè apostolicæ potestatis plenitudine præfatas censuras, vti præsumptuosas, temerarias, atquè scandalosas, auctoritate Apostolica damnamus, & pro damnatis haberi volumus, easquè nullius valoris, & roboris fuisse, sed cassas, & irritas esse declaramus: Mandamus insuper, ne quisquam ex Christi fidelibus cuiuscumquè gradus, ac dignitatis existat, etiam Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, aut alia maiori dignitate, etiam speciali, ac specialissima nota digna suffultis, prædictas censuras approbet, sequatur, atquè defendat; Neuè in publicis, aut priuatis lectionibus, disputationibus, sessionibus, aut alijs actibus publicis illas sequatur, tueatur, aut doceat; Nequè in libris, aut etiam scripturis publicis, vel priuatis, aut alio quocumquè modo illas alleget, sub pœna excommunicationis la-

tæ ſententiæ ipſo facto incurrendæ, cuius abſolutionem Nobis, ac Sedi Apoſtolicæ reſeruamus. Præterea Typographis, ac Bibliopolis expreſsè prohibemus, nè præfatos libros, & cenſuras imprimere, ac Typis mandare, minuſquè impreſſos vendere audeant, ac præſumant ſub eadem pœna excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto incurrendæ. Inſuper libros, ſcripturas, & alia opera, in quibus præfatæ cenſuræ quomodolibet continentur, laudantur, & defenduntur, Apoſtolica auctoritate prohibemus, ac pro vetitis haberi volumus; Mandamuſquè nè aliquis illos, ac illa legere, aut penès ſe retinere præſumat, ſed locorum Ordinarijs, aut hæreticæ prauitatis Inquiſitoribus in locis, in quibus Sanctiſſimæ Inquiſitionis Officium exercetur conſignet, ſub pœna excommunicationis, vt ſupra ipſo facto incurrendæ. Dictiſquè Ordinarijs, vt etiam tanquam apoſtolicæ Sedis Delegati, nec non præfatis hæreticæ prauitatis Inquiſitoribus diſtrictè præcipimus, vt contra tranſgreſſores, inobedientes, ac rebelles diligenter inquirant, & procedant, & ad declarationem dictæ excommunicationis, & ad alias pœnas pro grauitate ipſorum inobedientiæ, ac tranſgreſſionis pro eorum arbitrio procedant.

Cæterùm vlteriùs de præfatis cenſuris iudicium, deque opinionibus in prædictis

libris

libris Iacobi Vernant, & Amadæi Guimenij contentis, nec non de alijs in eisdem censuris expressis, siuè in eis præmemoratæ opiniones notentur, siuè non, Nobis, ac Sanctæ Sedi Apostolicæ reseruamus.

Decernentes insuper præsentes litteras semper, & perpetuò validas, & efficaces existere, & forè, suosquè plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, sicquè per quoscumque Iudices ordinarios, & Delegatos vbiquè iudicari, & definiri debere, sublata eis, & eorum cuilibet quauis alitèr iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ac irritum, & inane esse quidquid secus super his à quocumque quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Volumus autèm vt præsentium transumptis etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides prorsùs adhibeatur, quæ ipsis originalibus litteris adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergò hominum liceat hanc nostrã Constitutionem, & Ordinationem infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud

San-

Sanctam Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo sexagesimo quinto, Septimo Kal. Iulii, Pontificatus nostri Anno Vndecimo.

I. Card. Prodatarius. *S. Vgolinus.*

Visa de Curia P. Ciampinus.

Registrata in Secretaria Breuium.

P. Ciampinus.

Anno à Natiuitate Domini Nostri IESV Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo quinto, Indictione tertia, die verò 26. mensis Iunii, Pontificatus autem SS. in Christo Patris, & D. N. D. Alexandri, diuina Prouidentia Papæ VII. anno eius vndecimo, supradictæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicę Principis Apostolorum, Cancellarię Apostolicę, ac in acie Campi Floræ, ac in aliis solitis, & consuetis Vrbis per me Carolum Melanum eiusdem S.D.N. Papæ, & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

S.D.N.

S. D. N. ALEXANDRI
Diuina Prouidentia Papæ VII.

Decretum prius aduersus Propositiones scandalosas, & perniciosas in praxi

Feria quinta die xxiv. Septembris 1665.

In Congregatione Generali S. Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis Habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis.

Coram SS. D. N.

D. ALEXANDRO

Diuina Prouidentia

PAPA VII.

Ac Eminentissimis, et Reuerendissimis Dominis S. R. E. Cardinalibus, Inquisitoribus à S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

SAnctissimus D. N. audiuit non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones Christianæ disciplinæ relaxatiuas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum suscitari, partim nouiter prodire: & summam illam luxuriantium inge-

teſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3 Sententia aſſerens, Bullam Cœnæ solùm prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare Facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, anno 1629. 18. Iulij in Conſiſtorio Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium viſa, & tolerata eſt.

4 Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſoluere quoſcumque ſæculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa.

5 Quamuis euidenter tibi conſtet Petrum eſſe hæreticum, non teneris denunciare, ſi probare non poſſis.

6 Confeſſarius, qui in Sacramentali Cõfeſſione tribuit pœnitenti chartam poſteà legendam in qua ad venerem incitat, non cenſetur ſollicitaſſe in confeſſione, ac proindè non eſt denunciandus.

7 Modus euadendi obligationem denũtiandæ ſollicitationis eſt, ſi ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante, hic poteſt ipſum abſoluere abſque onere denunciandi.

8 Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licitè accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet celebranti correſpondentem, idque poſt decretum Vrbani VIII.

9 Poſt Decretum Vrbani poteſt Sacer-

dos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere collato illi minori stipendio, alia parte stipendij sibi retenta.

10 Non est contra iustitiam pro pluribus sacrificijs stipendium accipere, & sacrificium vnum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam iuramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11 Peccata in Confessione omissa, seù oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenetur in sequenti Confessione exprimere.

12 Mendicantes possunt absoluere à casibus Episcopis reseruatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13 Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo presentato, sed ab eo iniustè reprobato.

14 Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

15 Pœnitens propria authoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

16 Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17 Est licitum Religioso vel Clerico calumniatorem grauia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi nō sup-

suppetit; vti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi religioso, vel eius religioni, publicè & coram grauissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.

18 Licet interficere falsum accusatorē, falsos testes, ac etiam iudicem à quo iniqua certò imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum euitare.

19 Non peccat maritus occidens propria authoritate vxorem in adulterio deprehensam.

20 Restitutio à Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Iudicis, eo quod sit pœna.

21 Habens Capellaniam collatiuam, aut quodvis aliud beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet.

22 Non est contra Iustitiam beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica pecunia interueniente, non exigit illam pro collatione beneficij, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23 Frangens ieiunium Ecclesiæ, ad quod teneretur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subijcere præcepto.

24 Mollities, Sodomia, & bestialitas sunt peccata eiusdem speciei infimæ, ideoq; sufficit dicere in confessione, se procurasse pollutionem.

25 Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto, dicens commisi cum soluta graue peccatum contra castitatem non explicando copulam.

26 Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest Iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia in fauorem vnius præ alio.

27 Si liber sit alicuius iunioris & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet reiectam esse à Sede Apostolica tamquam improbabilem.

28 Populus non peccat etiamsi absque vlla causa non recipiat legem à Principe promulgatam.

Quibus peractis, dum similium propositionum examini cura, & studium impenditur, intereà idem Sanctissimus re maturè considerata statuit, & decreuit, prædictas propositiones, & vnamquamque ipsarum, vt minimùm tamquam scandalosas esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat ac prohibet: ita vt quicumque illas, aut coniunctim, aut diuisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputatiuè, publicè aut priuatim tractauerit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, à qua non possit (præterquam

quam

quam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolui.

Insuper districtè in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione diuini Iudicij prohibet omnibus Christi fidelibus, cuiuscumque conditionis, dignitatis, ac status etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Ioannes Lupus Sancta Romana et vniuersalis inquisitionis Not. &c.

Loco † sigilli.

Anno à Natiuitate Domini Nostri IESV Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo quinto, Indictione tertia, die verò 2. mensis Octobris Pontificatus autem SS. in Christo Patris, & D. N. D. Alexandri, diuina Prouidentia Papæ VII. anno eius vndecimo, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Basilicę Principis Apostolorum, Cancellarię Apostolicę, ac in acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Vrbis per me Carolum Melanum eiusdem S.D.N. Papæ, & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

S. D. N.

ALEXANDRI Diuina Prouidentia Papæ VII.

Decretum posterius aduersus Propositiones scandalosas & in praxi perniciosas.

Feria quinta die 18. Martij 1666.

In Congregatione generali Sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis.

CORAM SANCTISS. D.N.

D. ALEXANDRO

DIVINA PROVIDENTIA

PAPA VII.

Ac Eminentissimis, et Reuerendiss. DD. S.R.E. Cardinalibus in tota Republica Christiana aduersùs hæreticam prauitatem Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

SAnctissimus D.N. post latum Decretum die xxiv. Septembris proximè elapsi, quo viginti octo Propositiones damnatæ fue-

fuerunt, examinatis feduló, & accuratò vfque ad hanc diem infrafcriptis alijs quadragefimum quintum numerum implentibus, per plures in Sacra Theologia Magiftros, ac per Eminentiffimos, & Reuerendiffimos DD. Cardinales aduersùs hæreticã prauitatem Generales Inquifitores, eorum fuffragia fingillatim fuper vnaquaque ipfarum audiuit.

PROPOSITIO XXIX.

IN die Ieiunij, qui fæpiùs modicum quid comedit, &fi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit Ieiunium.

30 Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, funt excufati ab obligatione Ieiunij, nec debent fe certificare, an labor fit compatibilis cum Ieiunio.

31 Excufantur abfolutè à Præcepto Ieiunii omnes illi, qui iter agunt equitando, vtcumque iter agant, etiamfi iter neceffarium non fit,& etiamfi iter vnius diei conficiant.

32 Non eft euidens, quod confuetudo non comedendi oua, & lacticinia in Quadragefima obliget.

33 Reftitutio fructuum ob omiffionem horarum fuppleri poteft per quafcumque Eleemofynas, quas anteà Beneficiarius de fructibus fui beneficiij fecerit.

34 In die Palmarum recitans Offi-

cium Paschale, satisfacit Præcepto.

35 Vnico Officio potest quis satisfacere duplici Præcepto pro die præsenti, & crastino.

36 Regulares possunt in foro conscientiæ vti priuilegiis suis, quæ sunt expresse reuocata per Concilium Tridentinum.

37 Indulgentiæ concessæ Regularibus, & reuocatæ à Paulo V. hodie sunt reualidatæ.

38 Mandatum Tridentini, factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimùm, est consilium, non Præceptum.

39 Illa particula, *quamprimùm*, intelligitur, cùm Sacerdos suo tempore confitebitur.

40 Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantùm veniale osculum habitum ob delectationem carnalem & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus vlterioris, & pollutionis.

41 Non est obligandus concubinarius ad eiiciendam concubinam, si hęc nimis vtilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo *Regalo*, dùm deficiente illo nimis ęgrè ageret vitam, & aliæ epulæ tœdio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inueniretur.

42 Licitum est mutuanti aliquid vltra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem vsque ad certum tempus.

43 An-

43 Annuum legatum pro Anima relictum, nõ durat plus quã per decem annos.

44 Quoad forum conscientiæ, Reo correcto, eiusque contumacia cessante, cessant censuræ.

45 Libri prohibiti donec expurgentur, possunt retineri, vsque dúm adhibita diligentia corrigantur.

Quibus maturè pensatis, idem Sanctissimus statuit, ac decreuit prędictas Propositiones, & vnamquamque ipsarum, vt minimùm, tanquam scandalosas esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, ac prohibet. Ita vt quicumqne illas, aut coniunctim, aut diuisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputatiuè, publicè aut priuatim tractauerit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice, absolui.

Insuper districtè in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Diuini Iudicij prohibet omnibus Christi fidelibus cuiuscumque conditionis, dignitatis, ac status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prędictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Ioannes Lupus, Sancta Romanæ et Vniuersalis Inquisitionis Not.

Loco † Sigilli.

An-

Anno à Natiuitate D.N.Iesu Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo sexto, Indictione quarta, die verò 23. mensis Martii, Pontificatus Sanctiss.in Christo Patris,& D. N. D. Alexandri, Diuinaprouidentia Papæ VII. anno vndecimo, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis per me Carolum Melanum, eiusdem S. D. N. Papæ, & S. Romanæ Inquisitionis Curs.

S, D. N.

ALEXANDRI Diuina Prouidentia Papæ VII. Decretum,quo vetat censura Notari sententiam de sufficientia attritionis ex metu gehennæ, alteramque de necessitate aliqualis dilectionis ad sufficientiam attritionis.

FERIA V. DIE V. MAII M.DC.LXVII.

S. D. N. ALEXANDER Papa VII. cum acceperit non sine graui animi mœrore Scholasticos quosdam acrius, nec absque fidelium scandalo inter se contendere, an illa Attritio, quæ concipitur ex metu gehennę excludens voluntatem pec-

candi

candi cum spe veniæ, ad impetrandam gratiam in Sacramento Pęnitentię, requirat insuper aliquem actum dilectionis Dei, asserentibus quibusdam, negantibus aliis, & inuicem aduersam sententiam censurantibus. Sanctitas sua enixè cupiens pacis vinculum inter fideles seruari, omnemque scissurę fomitem extinguere, auditis votis Eminentissimorum ac Reuerendissimorum DD. Cardinalium, aduersus hæreticam prauitatem generalium Inquisitorum, nec non Dominorum Consultorum, & Qualificatorum sacræ Congregationis eiusdem generalis Inquisitionis, hoc præsenti Decreto in virtute sanctę obedientię & sub pœna excommunicationis latę sententię huic Sāctæ Sedi reseruatę, aliisque pęnis eiusdem Sanctę Sedis arbitrio taxandis, pręcipit cunctis, & singulis fidelibus quocumque gradu, ac dignitate etiam Episcopali & maiori, imo, & Cardinalitia fulgentibus, vt si deinceps de materia Attritionis præfatę scribent, vel libros, aut scripturas edent, vel docebunt, vel prędicabunt, vel alio quouis modo pęnitentes, aut Scholares, cęterosue erudient, non audeant alicuius Theologicę censurę, alteriusue iniurię, aut contumelię nota taxare alteram sententiam, siue negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in pręfata Attritione ex metu gehennæ cōcepta, quæ hodie inter Scholasticos communior videtur; siue asserentem dictę dilectionis

ctionis necessitatem, donec ab hac Sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum. Statuitque preterea Decretum hoc, seu illius exemplum ad valuas Basilicę Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Florę affixum omnes vbique existentes arctare, & afficere, ac si vnicuique personaliter fuisset intimatum.

Franciscus Riccardus Sanctæ Romanæ et Vniuersalis Inquisitionis Not.

Locus † Sigilli.

Anno à Natiuitate Domini nostri Iesu Chirsti 1667. Indictione quinta Die vero 7. Maii Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Alexandri Diuina Prouidentia Papæ Septimi, anno decimo tertio, supradictum Decretũ, affixum, & publicatum fuit ad Valuas Basilicæ Principis Apostolorum & in acie Cãpi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Vrbis, per me *Carolum Melanum* eiusdem Sanctiss. D. N. Papæ, & Sanctiss. Inquisitionis Cursorem.

S. D. N.

S. D. N.

ALEXANDRI

DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ VII.

Innouatio Constitutionum, & Decretorum in fauorem sententiæ asserentis, animam Beatæ Mariæ Virginis in sui creatione, & in corpus infusione à peccato originali præseruatam fuisse, editorum.

ALEXANDER PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

SOllicitudo omnium Ecclesiarum, quam, licet meritis, & viribus longè impares, Dei Optimi Maximi voluntate, & prouidentia gerimus, in id Nos anxiè tenet intentos, & vigilantes, vt scandala quæ inter fideles pro humanæ naturæ corruptione, & fragilitate necesse est vt veniant, quantum fieri potest paucissima exoriantur, atque exorta, quàm celerrimè, & quàm diligentissimè amoueantur: nam ijs per quos veniunt certam peccati perniciem, quibus verò præbentur præsens afferunt labendi periculum; quorum Nos pro Nostro Pastoralis officij debito, & damnum summoperè dolemus, &

dis-

discrimine assiduè vtimur. Sanè vetus est Christi fidelium erga eius Beatissimam Matrem Virginem Mariam pietas sentientium, eius animam in primo instanti creationis, atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia & priuilegio, intuitu meritorum Iesu Christi eius filij, humani generis Redemptoris, à macula peccati originalis præseruatam immunem, atque in hoc sensu eius Conceptionis festiuitatem solemni ritu colētium, & celebrantium; creuitque horum numerus, atque huiusmodi cultus post editas à fœl. rec. Sixto PP. IV. Prædecessore nostro in eius commendationem Apostolicas Constitutiones, quas Sacrum Concilium Tridentinum innouauit, atque obseruari mandauit. Aucta rursus, & propagata fuit pietas hæc, & cultus ergaDeiparam post erecta hoc nomine, approbantibus Romanis Pontificibus, religiosum Ordinem, & Confraternitates, ac concessas ab iisdem indulgentias, itaut accedentibus quoque plerisque celebrioribus Accademiis ad hanc sententiam, iam ferè omnes Catholici complectantur. Et quia ex occasione contrariæ assertionis in concionibus, lectionibus, conclusionibus, & actibus publicis, quod nempe eadem Beatissima virgo Maria fuerit cōcepta cum peccato originali, oriebantur in populo Christiano cum magna Dei offensa, scandala, iurgia, & dissensiones. rec. mem. Paulus PP. V. etiam prædecessor noster vetuit horum

rum opinionem præfatæ ſententiæ contrariam publicè doceri, aut prædicari. Quam prohibitionem pię mem. Gregorius PP. XV. ſimiliter prædeceſſor noſter ad priuata etiã colloquia extendit; mandans inſuper in fauorem eiuſdem ſententiæ, vt in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio, ac diuino officio celebrandis tàm publicè, quàm priuatim, non alio quàm Conceptionis nomine vti quicumq; debeant. Nihilominus prout venerabiles fratres Epiſcopi ferè omnes Hiſpaniarum, cum Eccleſiarum ſuarum Capitulis datis ad Nos litteris expoſuerunt, accedente etiam inſinuatione chariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi earundem Hiſpaniarum Regis Catholici, qui ſpecialem ſuper hoc miſit ad Nos Oratorem venerabilem fratrem Ludouicum Epiſcopum Placentinum, per quem etiam delatæ fuerunt ad Nos ſupplicationes Regnorum earundem Hiſpaniarum, pergunt aliqui contrariæ illius opinionis aſſertores cõtra præfatas prohibitiones tum priuatim, tum publicè præfatam ſententiam aut impugnare, aut vellicare, & fauorem à Romanis Pontificibus cultui, & feſto ſecundùm illam præſtitum ita interpretari, vt fruſtrentur; imò Eccleſiam Romanam huic ſententiæ, & cultui iuxta illam Beatæ Virgini exhibito fauere negant, pios Chriſti fideles è ſua pacifica quaſi poſſeſſione deturbare conando, vnde offenſiones, ſcandala, & iurgia, quibus obuiare voluerunt Paulus V. & Gre-

& Gregorius XV. nostri prædecessores, perdurant adhuc, & ex occasione eorundem aduersantium maiora his incommoda in posterum prudenter, & meritò timentur. Quapropter super his tam præfati Episcopi cum Ecclesiarum suarum Capitulis, quàm memoratus Philippus Rex, eiusque Regna Nobis pro opportuno remedio instanter supplicari fecerunt. Nos considerantes, quòd Sancta Romana Ecclesia de intemeratæ, semperque Virginis Mariæ Conceptione festũ solemniter celebrat, & speciale, ac propriũ super hoc officium olim ordinauit iuxta piam, deuotam, & laudabilem institutionẽ; quæ à Sixto IV. prædecessore nostro tunc emanauit; volentesque laudabili huic pietati, & deuotioni, & festo, ac cultui secundùm illam exhibito in Ecclesia Romana post ipsius cultus institutionem nunquam immutato, Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum exemplo fauere, necnon tueri pietatem & deuotionem hãc colendi, & celebrandi Beatissimam Virginem, præueniente scilicet Spiritus Sancti gratia, à peccato originali præseruatam; cupientèsq; in Christi grege vnitatem spiritus in vinculo pacis, sedatis offensionibus, & iurgiis, amotisque scandalis, conseruare: Ad præfatorum Episcoporum cum Ecclesiarum suarum Capitulis, ac Philippi Regis, eiusque Regnorũ oblatam Nobis instantiam ac preces, Constitutiones, & Decreta à Romanis Pontifi-
cibus

cibus prædecessoribus nostris, & præcipuè à Sixto IV. Paulo V. & Gregorio XV. edita in fauorem sententiæ asserentis, animam Beatæ Mariæ Virginis in sui creatione, & in corpus infusione Spiritus sancti gratia donatam, & à peccato originali præseruatam fuisse, necnon & in fauorem festi, & cultus Conceptionis eiusdem Virginis Deiparæ secundùm piam istam sententiam, vt præfertur, exhibiti innouamus, & sub censuris, & pœnis in eisdem Constitutionibus contentis obseruari mandamus, & insuper omnes, & singulos, qui præfatas Constitutiones, seu Decreta ita pergent interpretari, vt fauorem per illas dictæ sententiæ, & festo, seu cultui secũdùm illam exhibito frustrentur, vel qui hanc eandem sententiam, festum, seu cultum in disputationem reuocare, aut contra eã quoquo modo directè, vel indirectè, aut sub quouis prætextu, etiã definibilitatis eius examinandæ, siue sacram Scripturam, aut Sanctos Patres, siue Doctores glossandi, vel interpretandi, denique alio quouis prætextu seu occasione, scripto, seu voce loqui, concionari, tractare, disputare contra ea quicquam determinando, aut asserendo, vel argumenta contra ea afferendo, & insoluta relinquendo, aut alio quouis cogitabili modo differendo, ausi fuerint, præter pœnas, & censuras in Constitutionibus Sixti IV. contentas, quibus illos subiacere volumus, & per præsentes subiicimus, etiam concionan-

di, publicè legendi, ſeu docendi, & interpretandi facultate, ac voce actiua, & paſſiua in quibuſcumque electionibus eo ipſo abſque alia declaratione priuatos eſſe volumus, necnon ad concionandum, publicè legendum, docendum, & interpretandum, perpetuæ inhabilitatis pœnas ipſo facto incurrere abſque alia declaratione; à quibus pœnis non niſi à Nobis ipſis, vel à ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus abſolui, aut ſuper iis diſpenſari poſſint: necnon eoſdem aliis pœnis noſtro, & eorumdem Romanorum Pontificum ſucceſſorum noſtrorum arbitrio infligendis pariter ſubiacere volumus, prout ſubiicimus per præſentes, innouantes Pauli V. & Gregorii XV. ſuperiùs memoratas Conſtitutiones, ſiue Decreta. Ac Libros in quibus præfata ſententia, feſtum, ſeu cultus ſecundùm illam in dubium reuocatur, aut contra ea quomodocumque vt ſupra aliquid ſcribitur, aut legitur, ſeu locutiones, conciones, tractatus, & diſputationes contra eadem continentur, poſt Pauli V. ſupra laudatum Decretum edita, aut in poſterum quomodolibet edenda prohibemus, ſub pœnis, & cenſuris in Indice librorum prohibitorum contentis, & ipſo facto abſque alia declaratione pro expreſsè prohibitis haberi volumus, & mandamus. Vetamus autem Sixti IV. Conſtitutionibus inhærentes, quempiam aſſerere, quod propter hoc contrariam opinionem tenentes, videli-

licet gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen, aut mortale peccatum incurrant; cum à Romana Ecclesia, & ab Apostolica Sede nondum fuerit hoc decisum, prout Nos nunc minimè decidere volumus, aut intendimus: quin potiùs contrariam illam opinionem hæresis, aut peccati mortalis, aut impietatis damnare audentes, præter pœnas, quibus eos subiecit Sixtus IV., alijque prædecessores nostri Romani Pontifices grauioribus alijs pœnis subiicimus, quas in contrafacientes huic nostræ Constitutioni superiùs inflixim us. Volentes quod contra huius nostræ Constitutionis transgressores, etiã regulares cuiusuis Ordinis, & Instituti, etiam Societatis Iesu, & quomodolibet ex emptos, & alias quascumque Ecclesiasticas, & sæculares personas cuiuscumque status, gradus, ordinis, aut dignitatis tàm Ecclesiasticæ, quàm sæcularis, vt præfertur: tam Episcopi, & Prælati superiores, alijque locorum Ordinarii, quàm hæreticæ prauitatis vbique locorum deputati Inquisitores procedant, & inquirant, atque in eos strictè animaduertant: Nos enim ijs, & eorum cuilibet contra eosdem trasgressores procedendi, & inquirendi, ac pœnis coercendi, & puniendi liberam facultatem, auctoritatem, & iisdem anctoritate, & tenore tribuimus, & impartimur, eosque vt præfertur procedere, inquirere, & punire districtè præcipimus, & man-

damus. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus, ac quibusuis indultis, & litteris Apostolicis quibusuis personis quantumcumque qualificatis, & in quacumque, etiam Cardinalatus, Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, & quauis alia dignitate, & honore constitutis, etiam quòd contra eos procedi, interdici, suspendi, vel excommunicari nequeat, quomodolibet concessis. Quibus omnibus, & eorum singulis; etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de eis, ipsorumque totis tenoribus specialis, specifica, indiuidua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per generales, etiam id importantes, clausulas, mentio habenda, aut alia exquisita forma obseruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, harum serie specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibusque. Vt autem hæc nostra Constitutio, & premissa omnia ad eorum omnium quorum interest notitiam congruentiùs peruenire possint, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna priuationis ab ingressu Ecclesiæ eo ipso incurrenda præcipimus, & mandamus omnibus, & singulis locorum Ordinariis, ac eorum Vicarijs, Suffraganeis, & Officialibus quibuscumque, & aliis singulis, ad quos quomodolibet spectat, & pertinet, quatenus huiusmodi nostram Constitutionem singulis suæ Diœcesis,

fis, vel districtus prædicatoribus,& aliis,quibus expedire iudicauerint, opportunè insinuent, & publicent, ac insinuari, & publicari faciant, ne quis in posterum quoquo modo ignorantiam de præmissis possit prætendere, aut se contra præmissa valeat excusare. Volumus,& similiter eadem auctoritate decernimus, & mandamus, quod præsentes litteræ per aliquos ex nostris Cursoribus in Basilicarum Sancti Ioannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ valuis, ac in acie Campi Floræ de Vrbe de more publicentur,& affigantur, quæ affixio,& publicatio ita omnes & singulos, ad quos spectat,afficiat,& arctet, ac si illis personaliter intimatæ fuissent; & quod illarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutę munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus litteris adhiberetur si ostensæ, vel exhibitæ forent. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die 8. Decembris 1661. Pontificatus nostri anno septimo.

Anno à Natiuitate D. N. Iesu Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo primo, Indictione 13. die verò 8. Decembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris; & D. N. D. Alexandri Diuina Prouidentia Papæ VII. Anno septimo, suprascripta litteræ affixæ, & publi-

cata fuerunt in Basilicarum S.Io. Lateranensis, & Principis Apostolorum de Vrbe, ac Cancellaria Apostolicæ valuis in acie Campi Floræ, vt moris est per me Andream Castruccium præ-libati Sanctiss.D.N.PP.Curs.

Pro D.Mag.Petrus Paulus Desiderius Cursor.



CAPVT XIX.

Decreta Clementis Noni, Clementis X & SS. D. N. Innocentij XI.

S. D. N.

CLEMENTIS Diuina prouidentia PP. IX. Censura contra Librum Vulgo dictum, Rituel d'Alet.

CLEMENS PAPA IX.

Ad perpetuam rei memoriam.



Redita Nobis diuinitùs omnium Ecclesiarum sollicitudinis ratio exigit, vt Ecclesiasticæ disciplinæ, cuius Custodes à Domino constituti sumus, vbique seruandæ iugiter incumbentes, omni cura, atque vigilantia præcauere studeamus, ne quid in eam irrepat, quo quomodolibet turbari, aut à præscriptis ritibus aberrare, & via erroribus aperiri possit. Cum itaque (sicut Nobis innotuit) anno proximè elapso typis impressus, ac in lucem Parisiis editus fuerit Gallico idiomate liber, cui titulus est, *Rituel Romain du Papa Paul V. à l'vsage du Diocese d'Alet auec les instructions, & les rubriques en Francois*:

in quo non solùm continentur nonnulla ab ipso Rituali Romano iussu fel. recordat. Pauli Papæ V. prædecessoris nostri edito, aliena, sed etiam doctrinæ quædam, & propositiones falsæ, singulares, in praxi periculosæ, erroneæ, & consuetudini in Ecclesia communiter receptæ, atque Ecclesiasticis Constitutionibus oppositæ, & repugnantes, quarum vsu, & lectione Christi fideles in iam damnatos errores sensim induci, ac prauis opinionibus infici posset: Nos opportunum huic malo remedium adhibere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, librum sub titulo Ritualis Gallico idiomate editum præfatum, auctoritate Apostolica tenore præsentium omninò damnamus, reprobamus, & interdicimus, ac pro damnato, reprobato, & interdicto haberi volumus, eiusque impressionem, lectionem, retentionem, & vsum vniuersis, & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus, præsertim Ciuitatis, & Diœcesis Aletensis, cuiuscumque gradus, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ existant, licèt de illis specialis, & indiuidua mentio habenda foret, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrendæ perpetuò prohibemus. Mandantes vt statim quicumque illum habuerint, vel in futurum quandocumque habebunt, locorum Ordinariis, vel Inquisitoribus, qui verò Venerabili Fratri Episcopo Aletensi subsunt, Metro-

po-

politano, aut vni ex vicinioribus Episcopis realiter, & cum effectu exhibeant, tradant, & consignent; qui nulla interposita mora exemplaria sibi tradita, & alia quæcumque habuerint igne comburant, & comburi faciant; In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Vt autem præsentes literæ ad omnium notitiam facilius deueniant. Volumus, & auctoritate prædicta decernimus, illas ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ de Vrbe per aliquem exCursoribus nostris publicari, ac illarum exempla ibidem affixa relinqui, illasque sic publicatas omnes, & singulos quos concernunt, perindè afficere, & arctare, ac si illorum vnicuique personaliter notificatæ, & intimatæ fuissent; Ipsarum verò præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eandem fidem in iudicio, & extra illud haberi, quæ eisdem præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 11. Aprilis M.DC.LXVIII. Pontificatus nostri Anno Primo.

I. G. Slusius.

Anno à Natiuitate D.N. Iesu Christi 1668. Indictione sexta, die verò 17. Mensis Aprilis, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris,

tris,& D.N.D.Clementis Diuina Prouidentia Papa IX. anno eius Primo, supradictum Breue affixum, & publicatum fuit ad valuas Basilicæ Principis Apostolorū, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Vrbis per me Carolum Melanum S.D.N.Papæ,& Sanctiss. Inquisitionis Curs.

S. D. N.
CLEMENTIS Diuina Prouidentia PP. IX.
Censura contra famosam versionem
Gallicam noui Testamenti.

CLEMENS PAPA IX.

Ad Futuram rei memoriam.

DEbitum Pastoralis officii, quo Ecclesiæ Catholicæ per vniuersum orbem diffusæ regimini, diuina dispositione præsidemus, exigit, vt Sacras Scripturas in ea puritate, in qua per tot sæcula ingenti diuinæ bonitatis beneficio conseruatæ fuerunt, illibatas custodire omni studio, atque vigilantia satagamus. Cùm itaque sicut ad aures nostras peruenit, liber quidam versionis Gallicæ noui Testamenti, cui titulus est: *Le nouueau Testament de nostre Signeur Iesu Christ traduit en francois selon l'edition vulgate auec le differences du Grec*: Montibus Hannoniæ,& Lugduni (vt inscribitur) typis impressus, ac in lucem editus fuerit: Nos librum huiusmodi nonullis Venerabilibus fratribus nostris

S.R.E.

S.R. E. Cardinalibus, aliisque viris pietate & doctrina,atq; sapientia præstantibus, maturè, quantùm rei grauitas postulat, discutiendum,atque examinandum commisimus, quorum sententijs auditis, atque consideratis, eundem librum versionis Gallicæ noui Testamenti, vt supra,& vbicumque impressum, siue in posterùm imprimendum, tanquam temerarium, damnosum, à vulgata editione prædictâ difformem, & offendicula simplicium continentem, auctoritate Apostolica tenore præsentium damnamus, & prohibemus; ita vt nemo deinceps, cuiuscumque gradus, & conditionis existat,etiam speciali, & specialissima nota dignus,sub pęna excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrendæ, illum legere,retinere,vendere, aut imprimere, vel imprimi facere audeat, vel præsumat; sed sub eadem pœna quicumque illum habent, locorum Ordinariis, seu Inquisitoribus statim atque præsentis prohibitionis notitiam habuerint, exhibere teneantur. In contrarium facientibus non obstantibus quibusque. Vt autem præsentes litteræ ad omnium notitiam faciliùs deueniant, volumus & auctoritate prædictâ decernimus, illas ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ de Vrbe per aliquem ex Cursoribus nostris publicari, ac illarum exempla ibidem affixa relinqui, illasque sic publicatas omnes, & singulos quos con-

concernunt, in Italia quidem post mensem, extrà Italiam verò post quatuor menses, à die publicationis hìc in Vrbe faciendæ, numerandos, perinde afficere, & arctare, ac si illorum vnicuique personaliter notificatæ, & intimatę fuissent, ipsarum verò litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eandem fidem in iudicio, & extra illud haberi, quæ eisdem præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xx. Aprilis M. DC. LXVIII. Pontificatus Nostri Anno Primo.

I. G. Slusius.

Anno à Natiuitate D.N. Iesu Christi 1668. Indictione sexta, die verò 23. mensis Aprilis, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D.N.D. Clementis Diuina Prouidentia Papæ IX. anno eius primo, supradictum Breue affixum, & publicatum fuit ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ. ac in acie Campi Floræ, ac in alijs locis solitis, & consuetis Vrbis per me Carolum Melanum S.D.N. Papæ, & Sanctiss. Inquisitionis Cur.

DE-

DECRETVM
CIRCA COMMVNIONEM QVOTIDIANAM.

Datum Romæ 12. Februarij 1679.

CVM ad aures Sanctissimi D. N. fide dignorum testimonio peruenerit in quibusdam Diœcesibus vigere vsum quotidianæ Communionis, etiam in feria sexta Parasceuæ, & simul affirmari eandem quotidianam Communionem præceptam esse à iure Diuino, quin etiam in illius administratione aliquos abusus inoleuisse; videlicet, quod aliqui, non in Ecclesia, sed in priuatis Oratorijs, & Domi, imò cubantes in lecto, & non laborantes vlla grauis infirmitatis nota, sumant Sacrosanctam Eucharistiam, quam argenteâ theca inclusam in crumena, aut secretò illis deferunt Sacerdotes sæculares, aut Regulares; alijque in Communione accipiant plures formas, ac particulas, vel grandiores solito; ac tandem quis confiteatur peccata venialia simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Cum autem hæc Sanctissimus considerandа commiserit S. Congregationi Cardinalium Concil. Tridentini Interpretum, eadem Sacra Congregatio præmia ma-

tura discussione super prædictis vnanimi sententia ità censuit: Etsi frequens, quotidianusue Sacrosanctæ Eucharistiæ vsus à SS. Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus; nunquam tamen, aut sæpiús illam percipiendi, aut ab ea abstinendi, certos singulis mensibus, aut hebdomadis dies statuerunt, quos nec Concilium Tridentinum præscripsit, sed quasi humanam infirmitatem secum reputaret, nihil præcipiens, quid cuperet tantùm indicauit, cū inquit: Optaret quidem Sacrosancta Synodus, vt in singulis Missis fideles adstantes Sacramentali Eucharistiæ perceptione communicarent; Idque non immeritò; multiplices enim sunt conscientiarum recessus, variæ ob negotia spiritus alienationes, multæ è contra gratiæ, & Dei dona paruulis concessa: quæ cum humanis oculis scrutari non possimus nihil certè de cuiusque dignitate, atque integritate, & consequenter de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis esū potest constitui. Et propterea quod ad negociatores ipsos attinet, frequens ad Sacram alimoniam percipiendam accessus, Confessariorū secreta cordis explorantium iudicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate, & frequentiæ fructu, & ad pietatem processu Laicis negociatoribus, & Coniugatis, quod prospicient eorum saluti profuturum id illis præscribere debebunt. In Coniugatis autem hoc ampliùs animaduertent, cum

Bea-

Beatus Apostolus nolit eos inuicem fraudari, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacent orationi, eos seriò admoneant, tanto magis ob Sacratissimæ Eucharistiæ reuerentiam, continentiæ vacandum, puriorique mente ad Cœlestium Epularum Communionem esse conueniendum. In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum inuigilabit, non vt à frequenti, aut quotidiana Sacræ Communionis sumptione vnica præcepti formula aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur, sed magis quid singulis permittendum per se, aut Parochos, seù Confessarios sibi decernendum putet; Illudque omninò prouideat, vt nemo à Sacro Conuiuio seú frequenter, seù quotidiè accesserit repellatur; & nihilominus det operam, vt vnusquisque dignè pro deuotionis, & præparationis modo rariùs, aut crebriùs Dominici Corporis suauitatem degustet. Itidem Moniales quotidiè Sacram Communionem petentes admonēdæ erunt, vt in diebus ex earum Ordinis instituto præstitutis communicent; Si quæ verò puritate mentis eniteant, & feruore spiritus ita incaluerint, vt dignæ frequentiori, aut quotidiana Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis à Superioribus permittatur. Proderit etiam præter Parochorum, & Confessariorum diligentiam, opera quoque Concionatorum vti, & cum eis constitutum haberi, vt cum fideles ad

San-

Sanctiſſimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accenderint, ſtatim de magna ad illud ſumendum præparatione orationem habeant, generatimque oſtendant, eos qui ad frequentiorem, aut quotidianã ſalutiferi cibi ſumptionem deuoto ſtudio excitantur, debere, ſiuè Laici negociatores ſint, ſiuè coniugati ſiuè quicumque alij ſuam agnoſcere infirmitatem, vt dignitate Sacramenti, ac Diuini iudicij formidine diſcant cęleſtem menſam, in qua Chriſtus eſt reuereri; Et ſi quando ſe minus paratos ſenſerint, ab ea abſtinere, ſeque ad maiorem præparationem accingere. Epiſcopi autem, in quorum Diœceſibus viget huiuſmodi deuotio erga Sanctiſſimum Sacramentum pro illa gratias Deo agant, eamq; ipſi adhibito prudentiæ, & iudicij temperamento alere debebunt, & ab eorum officio poſtulari ſibi maximè perſuadebunt, nulli labori, aut diligentiæ parcendum, vt omnis irreuerentiæ, & ſcandali ſuſpicio in veri, & immaculati Agni perceptione tollatur, virtuteſque, ac dona in ſumentibus augeantur. Quod abundè continget, ſi ii, qui deuoto huiuſmodi ſtudio, diuina præſtante gratia tenentur, ſeque Sacratiſſimo Pane frequentius refici cupiunt, ſuas vires expendere, ſeque probare cum timore, & charitate aſſueuerint; Quibus Chriſtum Dominum, qui ſe fidelibus manducandum & ſe pretium in morte tradidit, atque in

cæleſti

cælesti Regno se præmium est daturus, precatur Sacra Congregatio, vt suam opem ad dignam præparationem, & sumptionem largiatur. Porrò Episcopi, & Parochi, seù Confessarij redarguant asserentes Communionem quotidianam esse de iure diuino, doceant in Ecclesijs, seù Oratorijs priuatis, ex dispensatione, seù Priuilegio Pontificis de manu Sacerdotis sumendam Sanctissimã Eucharistiam, nec eam vllo modo deferendam inc rumena, aut secretò ad existentes domi, vel cubantes in lecto, quàm ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad loca prędicta accedere non valeant, & ad eos, si ab Ecclesia deferatur, publicè, & cum pompa iuxtà formam Ritualis Romani; Si verò ab Oratorio priuilegiato, cum forma decenti. Cu rent etiam, vt circa Communionem in feria sexta Parasceuæ, Missalis Rubricæ, & Ecclesiæ Romanæ vsus seruentur; Insuper admoneant nulli tradendas plures Eucharistiæ formas, seù particulas, neque grandiores, sed consuetas, non permittant, vt venialium confessio fiat simplici Sacerdoti, non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Si Parochi, & Confessarij etiam Regulares, aut quicunque alij Sacerdotes secùs egerint, sciant Deo Optimo Maximo rationem reddituros; esse, neque defuturam Episcoporum, & Ordinariorum iustam, ac rigorosam animaduersionem in contrafaciẽtes, etiam Regulares, etiam Societatis Iesu,

 facul-

facultate ipsis Episcopis, & Ordinarijs per hoc Decretum per Sedem Apostolicam specialiter attributa.

Et facta de præmissis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas Sua approbauit, ac præsens Decretum Typis dari, ac publicari voluit. In quorum, &c.

F. Card. Columna Præf.

S. Archiepiscopus Brancaccius Episc. Viterbiensis Secret.

Die 15. mensis Februarij 1679. supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit per Vrbem ad valuas Curiæ, & in acie Campi Floræ, vt moris est, per me Ægidium Felicem SS.D.N. PP. Cursorem. Pro D. Magistro Cursorum Gregorius Staggius Apost. Curs.



S. D. N.

INNOCENTII Diuina Prouidentia Papæ XI. Decretum contra Propositiones 65. scandalosas & in praxi perniciosas.

FERIA QVINTA DIE II. MARTII 1679.

In Generali Congregatione S. Romanæ & Vniuersalis Inquisitionis Habita in Palatio Apostolico Vaticano Coram Sanctiss. D. N. D.

INNOCENTIO

DIVINA PROVIDENTIA

P A P A X I.

Ac Eminentissimis & Reuerendissimis. Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hæreticam prauitatem Generalibus Inquisitoribus, à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis,

SAnctissimus D. N. Innocentius Papa XI. prædictus, ouium sibi à Deo creditarum saluti sedulò incumbens, & salubre opus in segregandis noxiis doctrinarum pascuis ab innoxiis à fel. record. Alexandro

 VII.

VII. Prædecessore suo inchoatum prosequi volens, plurimas propositiones, partim ex diuersis, vel libris, vel thesibus, seu scriptis excerptas, & partim nouiter adinuentas, Theologorum plurium examini, & deinde Eminentissimis, & Reuerendissimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam prauitatem Generalibus Inquisitoribus subiecit. Quibus propositionibus sedulò, & accuratè sæpius discussis, eorumdem Eminentissimorum Cardinalium, & Theologorum votis per Sanctitatem Suam auditis: Idem Sanctissimus D. N. re postea maturè considerata, statuit, & decreuit pró nunc sequentes propositiones, & vnamquamque ipsarum, sicut iacent, vt minimùm tamquàm scandalosas, & in praxi perniciosas, esse damnãdas, & prohibendas, sicuti eas damnat, & prohibet. Non intendens tamen Sanctitas Sua per hoc Decretum, alias propositiones in ipso non expressas, & Sanctitati Suæ quomodolibet, & ex quacumque parte exhibitas vel exhibendas, vllatenuùs approbare.

1 Non est illicitum in Sacramentis cõferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conuentio, aut periculum grauis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantùm vtendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

2 Probabiliter existimo, Iudicem posse iudicare iuxtà opinionem etiam minùs probabilem.

3 Ge-

3 Generatim dum probabilitate, siue intrinseca, siuè extrinseca quantumuis tenui, modò à probabilitatis finibus nō exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4 Ab infidelitate excusabitur Infidelis non credens ductus opinione minus probabili.

5 An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.

6 Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquennijs per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

7 Tunc solùm obligat, quando tenemur iustificari, & non habemus aliam viā, quà iustificari possumus.

8 Comedere, & bibere vsque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modò non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9 Opus coniugij ob solam voluptatem exercitum omni penitùs caret culpa, ac defectu veniali.

10 Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

11 Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12 Vix in Secularibus inuenies, etiam in Regibus, superfluum statui. Et ità vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantùm ex superfluo statui.

13 Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicuius tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare; non quidem ex displicentia personę sed ob aliquod temporale emolumentum.

14 Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem, vt malum Patris, sed vt bonum cupientis, quia nimirùm ei obuentura est pinguis hæreditas.

15 Licitum est filio gaudere de parricidio Parentis à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes diuitias indè ex hæreditate consecutas.

16 Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundùm se.

17 Satis est Actum fidei semel in vita elicere.

18 Si à potestate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, vt Deo, & fidei gloriosum consulo, tacere, vt peccaminosum per se non damno.

19 Voluntas non potest efficere, vt assensus fidei in seipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensū impellentium.

20 Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.

21 Assensus fidei supernaturalis, & vtilis ad salutem stat cùm notitia solùm probabili reuelationis; immò cum formidine,

qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.

22 Non nisi fides vnius Dei necessaria videtur necessitate medij, non autem explicita Remuneratoris.

23 Fides latè dicta ex Testimonio Creaturarum similiùè motiuo ad iustificationem sufficit.

24 Vocare Deum in testem mendacij leuis non est tanta irreuerentia, propter quam velit aut possit damnare hominem.

25 Cum causa licitum est iurare sine animo iurandi, siuè res sit leuis, siuè grauis.

26 Si quis, vel solus, vel coram alijs, siuè interrogatus, siuè propria sponte, siuè recreationis causa, siuè quocumque alio fine iuret, se non fecisse aliquid, quod reuera fecit, intelligēdo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, reuera non mentitur, nec est periurus.

27 Causa iusta vtendi his amphibologijs est, quoties id necessarium aut vtile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, itaut veritatis occultatio censeatur tunc expediens & studiosa.

28 Qui mediante commendatione, vel munere ad magistratum vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare iuramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi,

non habito reſpectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29 Vrgens metus grauis eſt cauſa iuſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.

30 Fas eſt viro honorato occidere inuaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugiat.

31 Regulariter occidere poſſum furem pro conſeruatione vnius aurei.

32 Non ſolum licitum eſt defendere defenſione occiſiua, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ ius inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.

33 Licitum eſt tàm hæredi, quàm legatario contra iniuſtè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſoluantur, ſe taliter defendere. ſicut & ius habenti in Cathedram vel Præbendam cõtra eorum poſſeſſionem iniuſtè impedientem.

34 Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne Puella deprehenſa grauida occidatur, aut infametur.

35 Videtur probabile omnem fœtum, quamdiù in vtero eſt. carere anima rationali, & tunc primùm incipere eamdem habere cùm paritur, ac conſequenter dicendum erit in nullo abortu homicidiũ committi.

36 Per-

36 Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in graui.

37. Famuli, & famulæ domesticæ possunt occultè heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam maiorem iudicant salario, quod recipiunt.

38 Non tenetur quis sub pęna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

39. Qui alium mouet,aut inducit ad inferendum graue damnum tertio non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. Contractus Mohatra licitus est,etiam respectu eiusdem Personæ, & cum contractu retrouenditionis præuiè inito, cum intentione lucri.

41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non maioris faciat pecuniam præsentem, quàm futuram, potest creditor aliquid vltrà sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab vsura excusari.

42. Vsura non est, dum vltrà sortem aliquid exigitur, tamquam ex beneuolentia, & gratitudine debitum, sed solùm, si exigatur tamquam ex iustitia debitum.

43. Quidni non nisi veniale sit detrahētis auctoritatem magnam, sibi noxiam, falso crimine elidere?

44. Probabile est nō peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui,vt suā iusti-

ditiam,& honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix vlla erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquàm pretium, sed dumtaxat tamquàm motiuum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiàm quando temporale sit solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motiuum dandi spirituale; immò etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic vt illud pluris æstimetur, quã res spiritualis.

47. Cum dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis vtiles ipsi iudicauerint, ad Ecclesias promouent, Concilium, vel primò videtur per hoc digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparatiuo pro positiuo; vel secundò, locutione minus propria ponit digniores, vt excludat indignos, non verò dignos; vel tandem loquitur tertiò, quando fit concursus.

48. Tam clarum videtur, fornicationem secundùm se nullam inuoluere malitiam, & solùm esse malam, quia interdicta, vt contrarium omninò rationi dissonum videatur.

Mol-

49. Mollities iure naturæ prohibita non eſt. Vnde, ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpè eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali.

50. Copula cum coniugata, conſentiente marito, non eſt adulterium; adeòque ſufficit in confeſſione dicere, ſe eſſe fornicatum.

51. Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcientèr adiuuat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtruprandam virginem, & multoties eidem ſubſeruit deferendo ſcalam, aperiendo ianuam, aut quid ſimile cooperando non peccat mortalitèr, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à Domino malè tractetur, ne toruis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur.

52. Præceptum ſeruandi feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas eius partes, immò quatuor, ſimul à diuerſis Celebrantibus, audit.

54. Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia maior pars trahit ad ſe minorem.

55. Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem.

56. Frequens Confeſſio, & Communio,

nio, etiam in his, qui gentiliter viuunt, est nota prædestinationis.

57. Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modò honestam.

58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicuius consuetudinem.

59. Licet sacramentaliter absoluere dimidiatè tantùm confessos ratione magni concursus Pęnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicuius festiuitatis, aut indulgentiæ.

60. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio; dummodò ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolui, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quinimmò directè, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua vtilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

63. Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali, nostro vel proximi.

64. Absolutionis capax est homo, quantumuis laboret ignorantia Mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpa-

pabilem, nesciat Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Nostri Iesu Christi.

65. Sufficit illa Mysteria semel credidisse. Quicumque autem cuiusuis conditionis, status, & dignitatis, illas vel illarum aliquam, coniunctim vel diuisim, defenderit, vel ediderit, vel de eis disputatiuè, publicè aut priuatim tractauerit vel prædicauerit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem latæ sententiæ, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi pro tempore existente Romano Pontifice absolui.

Insuper districtè in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione Diuini Iudicij prohibet omnibus Christi Fidelibus, cuiuscumque conditionis, dignitatis, & status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, nè prædictas Opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Tandem, vt ab iniuriosis contentionibus Doctores, seu Scholastici, aut alii quicumque imposterum se abstineant, & vt paci, & charitati cõsulatur, idem Sanctissimus in virtute S. Obedientiæ eis præcipit, vt tam in libris imprimendis, ac manuscriptis, quàm in Thesibus, Disputationibus, ac Prædicationibus caueant ab omni censura, & nota, nec non à quibuscumque conuicijs contra eas propositiones, quę adhuc inter Catho-

licos

Feria 4. die 5. Iunij 1673.

In generali Congregatione S. Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis habita in Conuentu Sanctæ Mariæ super Mmerua coram Eminentissimis, & Reuerendissimis Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hæreticam prauitatem Generalibus Inquisitoribus à S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

CVm nonnulli Regulares, & Seculares varijs in locis instituerint Confraternitates Mancipiorum Matris Dei, dictas, italicè, *delli Schiaui della Madre di Dio*, & catenulas distribuant Confratribus, & Consororibus brachiis, & collo circumponendas, atque gestandas. vt eo signo Beatissimæ Virgini se mancipatos esse profiteantur, imagines quoque, & numismata catenatos Sodales exprimentia diuulgent, & libellos, in quibus eisdem Confraternitatibus Regulas præscribunt, vsum huiusmodi mancipatus, & meritum commendantes; Sacra Congregatio hunc abusum aliàs diuersis in locis specialibus Edictis à se prohibitum considerans nonnullorum studio, & opera crescere magis in dies, vniuersali Edicto abolendum esse decreuit; quare omnibus, & singulis Christi fidelibus vtriusque sexus, tam Regularibus, quàm Secularibus prædictarum

ca-

catenularum vſum diſtrictè interdicit, Regularibus quidem ſub pęna priuationis actiuæ,& paſſiuæ vocis ipſo facto incurrenda: cæteris verò ſub pœnis grauibus ſuorum ordinariorum arbitrio infligendis, Societates quocunque nomine appellentur, quarum inſtitutum in eo mancipatu præcipuè verſatur, damnat, & extinguit; illis verò Societatibus quæ, ritum aliquem, aut quodcumque aliud ad mancipatum eiuſmodi pertinens, adhibuerint, præcipit. vt ſub ijſdem pœnis id ſtatim reiiciant. Libellos demùm imagines, & numiſmata, quæ ante dicta ſunt, damnat, vetatque ſub pœnis in Indice Librorum prohibitorum latis in eos, qui libros vetitos retinent, aut diuulgant, vt nouus hic B. Virginis mancipatus omninò aboleatur. Contrariis quibuſcumque non obſtantibus.

Franciſcus Riccardus Sanctę Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis Notarius.

Anno à Natiuitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti, milleſimo ſexenteſimo, ſeptuageſimo tertio, die vero 15. menſis Iulij Indictione quarta Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Clementis Diuina Prouidentia Papæ X. anno eius quarto, ſu-

supradictum Edictum, seu decretum affixũ, & publicatum fuit ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicę, & in acie Campi Floræ de Vrbe, ac Palatij S. Officii eiusdem Vrbis, per Ioannem Antonium Bertarelli eiusdem Sanctissimi D. N. Papæ, ac Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

Suppressio Confraternitatum sub titulo Gregis Boni Pastoris.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

PAstoralis Officii, quod authore Deo gerimus cura, animum nostrum assiduè sollicitat, vt quæcumque piè licet primitus instituta, irrepentibus subinde abusibus non solum à pietate recessisse, sed etiam grauibus scandalis causam præbere noscuntur, è medio tollere, atque abolere studeamus, sicut omnibus maturæ considerationis trutina perpensis, ad omnipotentis Dei gloriam, ac fidelium ædificationem conspicimus in Domino salubriter expedire. Cum itaque (sicut accepimus) nonnullæ Congregationes, seu Confraternitates sub inuocatione Sanctissimi Sacramenti, B. Mariæ Virginis

immaculatæ, & S. Iosephi, sub titulo Gregis Boni Pastoris, varijs in locis ordinaria, seù etiam Apostolica auctoritate erectæ, & institutæ existant; in quarum Constitutionibus, & regulis vsus quarundam catenularum, aliaue quædam à doctrina, & praxi Ecclesiæ dissentanea reperiuntur, & de quarum Instituto libelli, folia, & imagines in vulgus edita sunt, ex quibus scandala, & offensiones in dies oriri possunt. Nos eiusmodi mala, atque incommoda ne latius serpant, Apostolicæ nostræ sollicitudinis sarculo recidere cupientes, de Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium in tota Republica Christiana aduersus hæreticam prauitatem generalium Inquisitorum ab hac Sancta Sede Apostolica specialiter deputatorum consilio. Congregationes, seù Confraternitates quascumque sub inuocatione Sanctissimi Sacramenti, Beatæ Mariæ Virginis immaculatæ, & S. Iosephi sub titulo Gregis Boni Pastoris vbicumque terrarum sicut præmittitur erectas, & institutas, auctoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuò supprimimus, extinguimus, & abolemus, perpetuòque suppressas, extinctas, & abolitas esse, & fore decernimus, & declaramus. Præterea libellos omnes, folia, Constitutiones, Regulas, Imagines, & vsum Catenularum huiusmodi, aliaue quæcunque ad Institutum earumdem Confraternitatum, seu Congregationum spectantia,

co-

eorumque respectiuè lectionem, retentionẽ, & vsum quibuscunque Christi fidelibus auctoritate, & tenore prædictis itidem perpetuò prohibemus, & interdicimus. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat, & pro tempore spectabit inuiolabiliter, & inconcussè obseruari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac eiusdem S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosue quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si Ordinationibus Apostolicis, ac dictarum Confraternitatum, necnon quarumcũq; Ecclesiarum tam Sæcularium, quam Regularium, in quibus Confraternitates ipsę erectæ sunt, aliisue quibusuis etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium prędictorum quomodolibet concessis confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter

expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Vt autem eædem præſentes litteræ ad omnium notitiam faciliùs deueniant, Volumus illas, ſeù earum exempla ad Valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, ac Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ de Vrbe, vt moris eſt affigi, & publicari, ſicque publicatas omnes, & ſingulos, quos illæ concernunt perinde afficere, ac ſi vnicuique illorum perſonaliter intimatæ fuiſſent; Atque ipſarum præſentium litterarum tranſumptis, ſeù exēplis etiam impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides vbique locorum in iudicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur eiſdem præſentibus ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ, Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die 15. Decembris 1673. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

I. G. Sluſius.

Fe-

Feria 5. die 23. Nouembris 1679.

In Congregatione Generali S.R. & Vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctissimo D.N.D. INNOCENTIO Papa XI. ac Eminentissimis, & Reuerendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in vniuersa Republica Christiana aduersus hæreticam prauitatem Inquisitoribus Generalibus à Sanctâ Sede Apostolica specialitèr deputatis.

CVM supradictis Eminentissimis, & Reuerendissimis DD. delatæ fuerint hæ duæ propositiones, *Deus dônat nobis omnipotentiam suam, vt ea vtamur, sicut aliquis donat alteri villam, vel librum*; &, *Deus subijcit nobis suam omnipotentiam*; earundem iussu per Theologos ad id specialiter deputatos diligenter examinatæ fuerunt, quorum votis auditis, & re Sanctissimo Domino Nostro relata, & coram Sua Sanctitate proposita vna cum votis ipsorum Eminentissimorũ, & Reuerendissimorum Dominorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Sanctitas Sua decreuit, & mandauit, vt ambæ propositiones omninó prohiberentur, sicut eas præsenti decreto damnat,& prohibet,vti temerarias ad minimum, & nouas; mandatque, nè quisquam deinceps cuiuscumque sit gradus, ordinis, aut conditionis, il-

las,vel illarum alterutram audeat imprimere, vel imprimi facere, siuè scriptis, aut etiã oretenùs docere, vel asserere, sub pœnis, & censuris in Indice librorum prohibitorum contentis, alijsque Sanctitati Suæ benè visis.

Loco † Sigilli.

Franciscus Riccardus Sanctæ Romanæ & Vniuersalis Inquisitionis Not.

Die 2. Decembris 1679. supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum, Palatij Sancti Officij, & in alijs locis solitis,& consuetis Vrbis per me Franciscum Perinum SS. D. N. Papæ, & Sanctiss. Inquisitionis Cursorem.



DE-

DECRETVM

Feria 4. die 25. Ianuarij 1679.

In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis habita in Conuentu S. Mariæ super Mineruam coram Eminentissimis, & Reuerendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus Inquisitoribus ab Apostolica Sede specialitèr deputatis.

PAucis ab hinc mensibus in vulgus editum fuit, ementito nomine Sancti Officij Decretum, cui titulus est, *Decret du Saint Office de Rome, qui condamne, & abolit, comme vn abus touttes le Confrairies ou Societèz de l'Esclauage de la Mere de Dieu, Scapulaire des Carmes, & autres Cordons, Ceintures, &c. Et defend sous de grieues peines l'vsage des Chaines, Images, & Medailles, qui portent le Marques de l'Esclauage en tous les lieux qui louent ou approuent ces deuotions*. Et finis Decreti. *Donnè à Rome le* 7. *Mars* 1678. *Le Cardinal Aloisio Homodei, Michaele Angelo Ricci Secretaire. A Rome de l'Imprimerie de la Reu. Chambre Apostolique* 1678. Legitur in eo magna ex parte descriptum aliud eiusdem S. Officij Decretum, Iulio mense latum anno 1673. ad tollendos quosdam abusus Catenularum, Numismatum, & Societatum Mancipiorum Beatissi-

mæ Virginis Mariæ; sed deprauatum in multis, & dolosè accomodatum ad alias Sodalitates ab Apostolica Sede approbatas, Cincturæ, Scapularis, & Chordæ: Paragraphus quoque penultimus de Regularium Indulgentijs, desumptus, ex Decreto Congregationis Indulgentiarum, sacrarumque Reliquiarum dato 7. die Martij 1678. omissis tamen suis necessarijs limitationibus, vt Societatum Cincturæ, Scapularis, & Chordæ pia Instituta, & Regularium etiam Indulgentiæ veræ prorsus improbatæ credantur.

Quæ licet prudentium virorum auribus, animisque absurda sint, & incredibilia, tamen vt etiam minùs peritorum Christi fidelium pietati consulatur, Sacra Congregatio Decretum ipsum esse falsum, perniciosum, atque scandalosum declarat, & sub pœnis in Indice Librorum prohibitorum latis in eos, qui vetitos libros legunt, retinent, aut diuulgant, prohibet, ne quis, cuiuscumque gradus, & conditionis sit, Decretũ illud legere audeat, vel apud se quomodocumq; retinere, imprimere, vel curare, vt imprimatur: sed Inquisitoribus, aut locorum Ordinarijs quisque statim exhibeat, & congnet.

Franciscus Riccardus S. Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis Notarius.

Loco ✝ Sigilli.

Fe-

Feria 5. die 23. Nouembris 1645.

In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctiss. D. N. Innocentio Diuina prouidentia Papa X. ac Eminentiss. & Reuerendiss. DD. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus in Vniuersa Republica Christiana contra hæreticam prauitatem Inquisitoribus Generalibus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

NE prætextu pietatis orirentur in Ecclesia Catholica contentiones, aut fouerentur exortæ, & ne cuiuslibet relinqueretur arbitrio publicas precãdi formulas instituere, præsertim verò eas, quæ Summorum Pontificum Sanctiónibus aduersari videntur, emanauit aliàs à fel. recordat. Vrbano VIII. in Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis sub die 19. Ianuarij 1640. Decretum tenoris inscripti.

Sanctissimus D. N. Auditis Votis &c. Qualcumque Congregationes, Sodalitates, seu Confraternitates sub nomine Stellarij Immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis

ginis Mariæ quomodolibet, & quauis authoritate erectas, & fundatas in quibusuis Ecclesiis omnino suppressit, & in posterum erigi posse absque Sanctitatis Suæ, & Sedis Apostolicæ licentia prohibuit. Indulgentias quascumque eisdem Congregationibus, Sodalitatibus, & Confraternitatibus concessas omnino reuocauit, cassauit, & annullauit. Insuper iussit, eisdem Congregationibus, Sodalitatibus, & confraternitatibus intimari, ne audeant recitare, vel recitari facere, aut consentire, quod recitetur in præfatis Ecclesijs, vel alibi in loco publico Corona sub titulo Stellarij Immaculatæ Conceptionis, sub pœnis arbitrio Sanctitatis Suæ, & Sacræ Congregationis.

Locorum verò Inquisitoribus fuit iniunctum, vt sedulò curarent, huiusmodi Decretum executioni mandari, facta etiam sub die secunda Februarij, & xv. Martij 1640. eiusdem Decreti intimatione Priori, Guardianis, & Confratribus Archiconfraternitatis Conceptionis, Immaculatæ Virginis in Ecclesia Sanctorum Laurentii, & Damasi Almæ Vrbis erectę.

Et ne prætextu ignorantię aliquid à Regularibus, præsertim Sancti Francisci contra prędictum Decretum attentari contingeret, Ministro Generali Fratrum Minorum Conuentualium, & Commissario Generali Fratrum Minor. Obseru. Die xij. Septembris 1640. præfatum Decretum iuridicè fuit intima-

timatum, vna cum præcepto sub pœna priuationis Generalatus, & Commissariatus respectiuè, ac vocis actiuæ, & passiuæ ipso facto incurrenda, alijsque arbitrio Sacræ Congregationis infligendis, vt debeant, & quilibet ipsorum debeat per literas, seu aliàs monuisse omnes, & singulos Prouinciales, Guardianos, aliosque Superiores Conuentuum eis subiectorum, ne sub eadem pęna priuationis officij, ac vocis actiuæ, & passiuæ, alijsque arbitrio imponendis recitent, seu ab alijs recitari in quibusuis Ecclesijs, Oratorijs, aliisque locis publicis Coronam sub titulo Stellarii Immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis Mariæ permittant: Imò quascumque Congregationes, Sodalitates, seu Confraternitates sub dicto titulo Stellarii non erigi, & erectas supprimi curent, & mandent. Deque huiusmodi commonitione, seu notificatione publico documento infra duos menses in Italia, extra verò Italiam infra quatuor menses, debeant certiorem facere Sacram Congregationem Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis.

Sed cum adhuc nonnulli Apostolicis mandatis obtemperare neglexerint, Stellarii prędicti Coronam nedum publicè in Ecclesiis recitantes, ac recitari curantes, eo fortasse subterfugio confisi, quod dummodò sub Stellarij titulo Confraternitates non erigantur, statutas in reliquis Decreti pęnas essent

eua-

euasuri; Verùm etiam ad vlteriores inobedientiæ gradus procedentes Apocalypticam Beati Ioãnis Visionem Mulieris duodecim Stellarum Corona redimitæ, pia Sanctorum Patrum, & Doctorum meditatione, ac interpretatione Beatissimæ Deiparæ adaptatã, ita mediante hoc recitandi Stellarii adiniuento mentibus fidelium inserere curauerint, ac si eidem B. Euangelistæ Immaculata Virginis Conceptio mirabiliter tunc fuerit demonstrata; Confecta etiam super hoc, & Typis euulgata collecta; Quinimmò diem festum solemnem Stellario de mense Augusti quotannis pro eorum arbitrio temerè assignauerint, ac denuò Indulgentias pro eadem asserta festiuitate subreptitiè obtinuerint.

Quæ omnia, & singula cum nuper Sanctissimo Domino Nostro innotuerint, auditis Votis &c. opportuno censuit indigere remedio, ne sub deuotionis specie fraudes vlterius progrediantur, & quæ primo aspectu pietatem redolent, hostis humani generis arte per inobedientiam labefactentur. Sanctitas Sua, præfato Decreto inhærendo, illudque confirmando hoc suo præsenti Decreto de nouo iussit, ac mandauit omnibus, & singulis cum Sæcularibus tum Regularibus personis cuiusuis gradus, status. Ordinis, & Instituti &c. ne in posterum audeant, vel quilibet illorum audeat publicè recitare, aut recitari mandare Coronam

Stel-

Stellarii prædicti in quibuiuis Ecclesiis, Oratoriis, aut aliis locis, in quibus vtriusque, vel alterius sexus Christi fideles in vnũ conueniant, etiamsi absque vlla Confraternitatis erectione id præstare profiterentur. Sodalitates omnes, Confraternitates, & Congregationes sub nomine Stellarii Immaculatæ Conceptionis iterum omninò suppressit. Indulgentias pariter titulo Stellarii, vel festiuitatis eiusdem quomodolibet obtentas reuocauit, & annullauit. Regularibus verò cuiusuis Ordinis, præsertim Ordinis Sãcti Francisci, tàm Minorum Conuentualium, quam Min. Obseruan. districtè præcepit sub prædictis pœnis, necnon sub pęna suspensionis à Diuinis ipso facto incurrenda, ne in eorum Ecclesiis, Oratoriis, aut aliis locis publicis, huiusmodi Stellarii Coronam, vel preces sub nomine Stellarii recitent, aut ab aliis recitari curent, siue permittant, minusque diem festum Stellarii celebrent, seu quilibet eorum tam Superior, quam subditus quouis prætextu aliquid ex præmissis faciat, curet, mandet, vel respectiuè permittat. Contrariis quibuscumque nõ obstantibus.

Et ne præmissorum ignorantia possit aliquis excusari, voluit, Decretum hoc, seu illius exemplum ad valuas Basilicarum S. Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Florę affixum ita


om-

Digitized by Google

omnes arctare, & afficere, ac si vnicuique personaliter fuisset intimatum.

Io. Antonius Thomasius S. Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis Not.

Anno à Natiuitate D.N.IESV Christi millesimo sexcentesimo quadragesimo quinto Indictione decima tertia, die vero decima quarta Decembris, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Innocentii Diuina Prouidentia Papę X. anno eius secundo, supradictæ Litteræ Apostolicæ, siue decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Basilicæ S. Ioannis Lateranensis, Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apostolicæ, atque in acie Campi Floræ, vt moris est per me Hieronymum Mascellam, eiusdem Sanctiss. D.N. Papæ, & Sanctæ Romanæ Inquisitionis Cursorem.



AP-

APPENDIX

Aliarum Constitutionum.

POstquam ordinata, & completa iam esset series praecedentium definitionum, visum est expedire, vt ad maiorem huius opusculi perfectionem, & legentium vtilitatem, sequentia etiam decreta, extra inceptam seriem, capitum tamen, & titulorum ordine seruato, adijcerentur. Vnde sequitur.



CA-

Digitized by Google

CAPVT XX.

Concilium Romanum, quo á 70. Episcopis.

Libri Sacri, & Authentici ab apocryphis sunt discreti sub Gelasio, anno Domini 494. Anterio, atque Præsidio Consulibus.

Ordo Librorum veteris Testamenti, quē Sancta, & Catholica Romana suscipit, & veneratur Ecclesia digestus à B. Gelasio Papa cum septuaginta Episcopis.

Genesis liber vnus.
Exodi liber vnus.
Leuitici liber vnus.
Deuteronomij liber vnus.
Numeri liber vnus.
Iesu Naue liber vnus.
Iudicum liber vnus.
Ruth liber vnus.
Regnorum libri quatuor.
Paralipom. libri duo.
Psalmorum 150. liber vnus.

Salo-

Salomonis libri tres.

Prouerbia
Ecclesiastes
et
Cantica Canticorum.

Item Sapientiæ liber vnus.
Ecclesiasticus liber vnus.
Item ordo Prophetarum.
Esaiæ liber vnus.
Hieremiæ liber vnus.
Cinoth, id est de Lamentationibus suis.
Ezechielis liber vnus.
Danielis liber vnus.
Oseæ liber vnus.
Amos liber vnus.
Micheæ liber vnus.
Iohel liber vnus.
Abdiæ liber vnus.
Naum liber vnus.
Ionæ liber vnus.
Abacuc liber vnus.
Sophoniæ liber vnus.
Aggæi liber vnus.
Zachariæ liber vnus.
Malachiæ liber vnus.
Item ordo historiarum.
Iob liber vnus.
Tobiæ liber vnus.
Esdræ liber vnus.
Hester liber vnus.
Iudith liber vnus.
Machabæorum liber vnus.

Digitized by Google

Item ordo scripturarum noui & æterni Testamenti.

EVangeliorum libri quatuor;
Secundum Matthæum liber vnus;
Secundum Marcum liber vnus.
Secundum Lucam liber vnus,
Secundum Ioannem liber vnus.
Actuum Apostolorum liber vnus.
Epistolæ Pauli Apostoli numero xiv.
Ad Romanos Epistola vna.
Ad Corinthios Epistolæ duæ.
Ad Galatas Epistola vna.
Ad Thessalonicenses Epistolæ duæ.
Ad Ephesios Epistola vna.
Ad Philippeoses Epistola vna.
Ad Colossenses Epistola vna.
Ad Thimotheum Epistolæ duæ.
Ad Titum Epistola vna.
Ad Philemonem Epistola vna.
Ad Hebræos Epistola vna.
Item Apocalypsis Ioannis liber vnus.
Item Canonicæ Epistolæ numero septem;
Iacobi Apostoli Epistola vna.
Petri Apostoli Epistolæ duæ.
Ioannis Apostoli Epistolæ tres.
Iudæ Zelotis Apostoli Epistola vna.

B.Ge-

B. Gelasij Papæ Decretum cum septuaginta Episcopis habitum de Apocryphis Scripturis.

POst propheticas, Euangelicas, atque Apostolicas Scripturas, quibus Ecclesia Catholica per gratiam Dei fundata est, illud etiam intimandum putamus, quod quamuis vniuersæ per Orbem Catholicæ Ecclesiæ vnus thalamus Christi sit, Sancta tamen Romana Catholica, & Apostolica Ecclesia nullis Synodicis constitutis cęteris Ecclesijs prælata est, sed Euangelica voce Domini, & Saluatoris Nostri, primatum obtinuit, Tu es Petrus, inquientis, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam; & tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata, & in cœlis, & quæcumque solueris super Terram, erunt soluta & in Cœlis. Cui data est etiã Societas Beatissimi Pauli Apostoli vasis electionis, qui non diuerso, sicut hæretici garriunt, sed vno tempore, vno eodemque die, gloriosa morte cum Petro in Vrbe Roma sub Cæsare Nerone agonizans coronatus est, & pariter supradictam Romanam Ecclesiam Christo Domino, consecrarunt, talemque omnibus Vrbibus in vniuerso Mundo sua præsentia, atque venerando triumpho prætulerunt. Est ergo

primà Petri Apostoli Sedes Romana Ecclesia non habens maculam, neque rugam, nec aliquid huiusmodi. Secunda autem Sedes apud Alexandriam B. Petri nomine à Marco eius discipulo, & Euangelista consecrata est, ipse à Petro Apostolo in Ægyptum directus, verbum veritatis prædicauit, & gloriosum consummauit Martyrium. Tertia vcrò Sedes apud Antiochiam eiusdem Beatissimi Petri Apostoli nomine habetur honorabilis, eo quod illic priusquam Romam venisset, habitauit, & illic primum nomen Christianorum nouellæ gentis exortum est. Et quamuis aliud fundamentum nullus possit ponere præter id, quod positum est, qui est Christus Iesus: Tamen ad ædificationem nostram, eadem Sancta Romana Ecclesia post illas veteris, vel noui Testamenti, quas regularitèr suscepimus, etiam has suscipi non prohibet scripturas, id est, Sanctam Synodum Nicænam trecentorum decem, & octo Patrum, mediantè maximo Constantino Augusto, inqua Arius hæreticus condemnatus est; Sanctam Synodum Constantinopolitanam mediante Theodosio Seniore Augusto, in qua Macedonius hæreticus debitam damnationem excepit; Sanctam Synodum Ephesinam, in qua Nestorius condemnatus est consensu Beatissimi Cœlestini Papæ mediante Cyrillo Alexandrinæ Sedis Antistite, & Archadio Episcopo ab Italia destinato.

San-

Sanctam Synodum Chalcedonensem, mediante Martiano Augusto, & Anatolio Constantantinopolitano Episcopo: In qua Nestoriana, & Euthiciana hæreses simul cũ Dioscoro, eiusque Complicibus damnatæ sunt. Sed & si qua sunt Concilia à Sanctis Patribus hactenus instituta post horum auctoritatem & custodienda, & recipienda, & decernimus, & mandamus.

Item opuscula B. Cypriani Martyris, & Carthaginensis Episcopi.

Item opuscula B. Gregorii Nanzianzeni Episcopi.

Item opuscula B. Basilij Cappadociæ Episcopi.

Item opuscula B. Athanasij Alexandrini Episcopi.

Item opuscula B. Cyrilli Alexandrini Episcopi.

Item opuscula B. Ioannis Constantinopolitani Episcopi.

Item opuscula B. Theophili Alexandrini Episcopi.

Item opuscula B. Hilarij Pictauiensis Episcopi.

Item opuscula B. Proterij Alexandrini Episcopi.

Item opuscula B. Ambrosij Mediolanensis Episcopi.

Item opuscula B. Augustini Hipponensis Episcopi.

Item opuscula B. Hieronymi Presbyteri;

Item opuſcula Proſperi viri Religioſiſſimi.

Item Epiſtolam B.Leonis Papæ ad Flauianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum deſtinatam. Cuius textum quiſpiam ſi vſquam ad vnum lota diſputauerit, & non eam in omnibus venerabiliter receperit, Anathema ſit.

Item opuſcula, atque tractatus omnium Orthodoxorum Patrum, qui in nullo à Sanctæ Eccleſiæ Romanæ conſortio deuiarunt, nec ab eius fide, vel prædicatione ſeiuncti ſunt; ſed ipſius Communionis per gratiam Dei vſque in vltimum diem vitæ ſuæ fuere participes, legendos decernimus.

Item decretales Epiſtolas, quas Beatiſſimi Papæ diuerſis temporibus ab Vrbe Romana pro diuerſorum Patrum conſultatione dederunt, venerabiliter recipiendas.

Item geſta Sanctorum Martyrum, qui multiplicibus tormentorum cruciatibus & mirabilibus confeſſionum Triumphis irradiant. Quis ita eſſe Catholicorum dubitet, & maiora eos in agonibus fuiſſe perpeſſos, nec ſuis viribus, ſed gratia Dei, & adiutorio vniuerſa toleraſſe? ſed ideò, ſecundùm antiquam conſuetudinem, ſingulari cautela in Sancta Romana Eccleſia non leguntur, quia & eorum, qui conſcripſere nomina penitùs ignorantur: & ab Infidelibus aut idiotis ſuperflua, aut minus apta, quàm rei ordo fuerit, ſcripta eſſe putantur; ſicut cuiuſdam

Qui-

Quirici, & Iulitæ, ſicut Georgij, aliorumq; huiuſmodi paſſiones, quæ ab hæreticis perhibentur compoſitæ: Propter quod, vt dictum eſt, ne vel leuis ſubſannandi oriretur occaſio, in Sancta Romana Eccleſia non leguntur. Nos tamèn cum prædicta Eccleſia omnes Martyres, & eorum glorioſos Agones, qui Deo magis, quam hominibus noti ſunt, omni deuotione veneramur.

Item vitas Patrum Pauli, Antonij, Hilarionis, & omnium Heremitarum, quas tamen vir Beatiſſimus ſcripſit Hyeronymus, cum omni honore ſuſcipimus.

Item actus B. Syluestri Apoſtolicæ Sedis Præſulis, licet eius, qui conſcripſit, nomen ignoretur, à multis tamèn in Vrbe Roma Catholicis legi cognouimus, & pro antiquo vſu multæ hæc imitantur Eccleſiæ.

Item ſcripta de Inuentione Crucis Dominicæ, & alia ſcripta de Inuentione Capitis Ioannis Baptiſtæ, nouellæ quædam relationes ſunt, & non nulli eas Catholici legunt. Sed cum hæc ad Catholicorum manus peruenerint B. Pauli Apoſtoli præcedat ſententia: omnia probate, quod bonum eſt, tenete.

Item Rufinus vir Religioſus plurimos Eccleſiaſtici operis edidit libros, nonnullas etiam ſcripturas interpretatus eſt. Sed quoniam B. Hieronymus eum in aliquibus de arbitrij libertate notauit, illa ſentimus, quæ prædictum B. Hieronymum ſentire cognoſcimus,

ſcimus, & non ſolum de Rufino, ſed etiam de vniuerſis, quos vir ſæpius memoratus, Zelo Dei, & fidei Religione reprehendit.

Item Origenis nonnulla opuſcula, quæ vir Beatiſſimus Hieronymus non repudiat, legenda ſuſcipimus. Reliqua autem omnia cum auctore ſuo dicimus eſſe renuenda.

Item Chronica Euſebij Cæſarienſis, & eiuſdem Eccleſiaſticæ hiſtoriæ libros, quamuis in primo narrationis ſuæ libro tepuerit, & poſtea in laudibus, atque excuſatione Origenis ſchiſmatici vnum conſcripſerit librum: Propterrerum tamèn notitiam ſingularem, quæ ad inſtructionem pertinent vſquequaque non dicimus renuendos.

Item Oroſium virum eruditiſſimum collaudamus, quia valde nobis neceſſariam aduerſus paganorum calumnias dignam ordinauit hiſtoriam, miraque breuitate contexuit.

Item Venerabilis viri ſedulij paſchale opus quod heroicis deſcripſit verſibus, inſigni laude præferimus,

Item Iuuenci nihilominus laborioſum opus non ſpernimus, ſed miramur. Cętera quæ abhæreticis, & ſchiſmaticis conſcripta, vel prædicata ſunt nullatenus recipit Catholica, & Apoſtolica Romana Eccleſia, e quibus pauca, quæ ad memoriam venerunt, & à Catholicis vitanda ſunt, credimus eſſe ſubdenda.

Item Notitia librorum Apocryphorum, qui non recipiuntur.

IN primis Ariminenſem Synodum à Cõſtantio Cæſare Conſtantini Auguſti filio congregatam, mediante Tauro Præfecto ex tunc, & nunc, & vſque in æternum confitemur eſſe damnatam.

Item Itinerarium nomine Petri Apoſtoli, quod appella■r Sancti Clementis libri octo apocryphum.

Actus nomine Andreæ Apoſtoli apocryphi.

Actus nomine Thomæ Apoſtoli apocryphi.

Actus nomine Petri Apoſtoli apochryphi.

Actus nomine Philippi, apochryphi.

Euangelium nomine Thadæi apochryphum.

Euangelium nomine Matthiæ apochryphum.

Euangelium nomine Petri Apoſtoli apochryphum.

Euangelium nomine Iacobi minoris apochryphum.

Euangelium nomine Barnabæ apochryphum.

Euangelium nomine Thomæ quo vtuntur Manichæi, apochryphum.

Euangelium nomine Bartholomæi Apoſtoli apochryphum,

Euan-

Euangelium nomine Andreæ Apoſtoli apochryphum.

Euangelia, quæ falſauit Lucianus, apochrypha.

Liber de Infantia Saluatoris apochryphus

Euangelia quæ falſauit Heſychius, apochrypha.

Liber de Natiuitate Saluatoris, & de Maria, & obſtetrice apochryphus.

Liber qui appellatur Paſtoris apochryphus.

Libri omnes, quos fecit Leucius diſcipulus Diaboli, apochryphi.

Liber, qui appellatur fundamentum apochryphus.

Liber qui appellatur Theſaurus, apochryphus.

Liber de filiabus Adæ Geneſeos, apochryphus.

Centimetrum de Chriſto Virgilianis cōpaginatum verſibus, apochryphum.

Liber, qui appellatur actus Theclæ, & Pauli Apoſtoli, apochryphus.

Liber, qui appellatur Nepotis, apochryphus.

Liber prouerbiorum, qui ab hæreticis conſcriptus, & Sancti Sixti nomine prænotatus eſt, apochryphus.

Reuelatio, quæ appellatur Pauli Apoſtoli, apochrypha.

Reuelatio, quæ appellatur Thomæ Apoſtoli, apochrypha.

Reue-

Reuelatio, quæ appellatur Stephani, apochrypha.

Liber, qui appellatur Transitus, id est Assumptio Sanctæ Mariæ, apochryphus.

Liber, qui appellatur pœnitentia Adæ, apochryphus.

Liber Ogiæ nomine Gigantis, qui ab hæreticis cum dracone post diluuium pugnasse perhibetur, apochryphus.

Liber, qui appellatur Testamenrum Iob, apochryphus.

Liber, qui appellatur pęnitentia Origenis, apochryphus.

Liber, qui appellatur pœnitentia Sancti Cypriani, apochryphus.

Liber, qui appellatur pœnitentia Iamnis, & Mambræ, apochryphus.

Liber, qui appellatur sortes Apostolorum, apochryphus.

Liber, qui appellatur laus Apostolorum, apochryphus.

Liber Canonum Apostolorum, apochryphus.

Liber Phisiologus qui ab hæreticis conscriptus est, & B. Ambrosij nomine signatus, apochryphus.

Historia Eusebij Pamphili, apochrypha.

Opuscula Tertuliani, apochrypha.

Opuscula Lactantij, apochrypha.

Opuscula Africani, apochrypha.

Opuscula Posthumiani, & Galli, apochrypha.

Opu-

Opuſcula Montani, Priſcillæ,& Maximillæ, apochrypha.

Opuſcula omnia fauſti Manichæi, apochrypha.

Opuſcula Commodiani, apochrypha.

Opuſcula Alterius Clementis Alexandrini, apochrypha.

Opuſcula Tatij Cypriani, apochrypha.

Opuſcula Arnobij, apochrypha.

Opuſcula Tyconij, apochrypha.

Opuſcula Caſſiani Presbyteri Galliarum, apochrypha.

Opuſcula Victorini Pictauieñ, apochrypha.

Opuſcula Fauſti Rhegienſis Galliarum, apochrypha.

Opuſcula Frumenti Cæci, apochrypha.

Epiſtola Ieſu ad Abagarum Regem,apochrypha.

Epiſtola Abagari ad Ieſum, apochrypha.

Paſſio Quirici, & Iulitæ, apochrypha.

Paſſio Georgij, apochrypha.

Scriptura, quæ appellatur contradictio Salomonis, apochrypha.

Phylacteria omnia, quæ non angelorum (vt illi confingunt) ſed dæmonum magis arte conſcripta ſunt, apochrypha.

Hæc & omnia his ſimilia,quę Simon Magus, Nicolaus, Cerinthus, Marcion, Baſilides, Ebion, Paulus etiam Samoſatenus, Photinus, & Bonoſus, & qui ſimili errore defecerunt, Montanus quoque cum ſuis

ob-

obſcœniſſimis ſequacibus, Appollinaris, Valentinus, ſiuè Manicheus, Fauſtus, Africanus, Sabellius, Arius, Macedonius, Eunomius, Nouatus, Sabbatius, Cęleſtius, Donatus, Euſtachius, Iouinianus, Iulianus Celanenſis, Cæleſtinus, Maximinus, Priſcillianus ab Hiſpania, Neſtorius Conſtantinopolitanus, Maximus, Alcynicus, vnicus, Lãpetius, Dioſcorus, Eutyches, Petrus, & alius Petrus è quibus vnus Alexandriam, alius Anthiochiam maculauit. Acatius Conſtantinopolitanus cum conſortibus ſuis, nec non, & omnes hęretici, eorumque diſcipuli ſiue ſchiſmatici docuerunt vel conſcripſerunt, quorum nomina minime retinentur, non ſolum repudiata, verum etiam ab omni Romana Catholica Ecclesia eliminata, atq; cum ſuis auctoribus, auctorumque ſequacibus ſub anathematis indiſſolubili vinculo in ęternum confitemur eſſe damnata.

Notæ Seuerini Binij.

Concilium: Ad fidem Catholicam illibatè cuſtodiendam, diſſidia tollenda, pacemque in Eccleſia reſtituendam, Pontifex vna cum Concilio in eo potiſſimum laborauit, vt Apoſtolicæ, & Catholicæ Eccleſiæ communio nulla, vel leui macula conſperſa, illibata penitus, & impolluta ſarta, & tecta in omnibus ſeruaretur. Ad hoc autem præſtandum ſollicitiorem curam impendens nõ
ſolum

solum vindicare voluit ipsam Ecclesiam ab omnibus, vt semper fuit, immunem hæresibus, atque hæreticorum consortio, sed vt eam redderet à prauorum scriptorum contagione securam, omne studium adhibens, delectum habuit Ecclesiasticorum librorum, qui hactenùs editi legi solerent; Distinguens, separansque quasi os Domini mundum ab immundo, & secernens preciosum à vili; Cuius rei perficiendæ gratia Decretum constituit ab Ecclesia Catholica perpetuò seruandum, in quo post recensitos veteris, ac noui Testamenti libros canonicos adiecit de primatu Romanę Ecclesię, & aliarum Patriarchalium Ecclesiarum Iuribus ad reprimendam Constant. Antistitum præsumptionem, & audaciam infringendam, qua se Acacius primum, deinde successores eius aduersus Romanam Ecclesiam proterquè nimis erexerant.

Ordo librorum veteris Testamenti. Quotquot hoc loco enumerantur, & in Canonem sacrorum librorum referuntur libri veteris Testamenti, iidem pene omnes recensiti sunt supra *Can. vlt, Conç. Laodiceni, & can.* 47, conc, Carthag. 3. Item Epist. 3, Innocentii Primi ad Exuperium, Canonem Apostolorum 84. vt potè quo Sacri libri omittuntur, & apochryphi in numerum Sacrorum referuntur, spurium esse, & illegitimum, supra in notis eiusdem Canonis copiosè ostendimus; veteris, ac noui Testamen-

stamen-

ſtamenti libros Sacros à calumnia hæræticorum omnium liberauit doctiſſimè, & copioſiſſimè Reuerend.& Illuſtriſs. Cardinalis Bellarm. toto lib.primo de verbo Dei ſcripto, Illuſtriſs, item Cardinalis Baron. tom. 1. Annalium diuerſis in locis S. Pauli,aliaſquè Canonicas Epiſtolas cum Apoc. S. Ioannis Apoſtoli à furore, & dementia hæreticorum vindicauit. Ad euitandam prolixitatem iſtuc lectorem beneuolum remitto. De libris apochryphis, eorumque auctoribus diuerſis in locis Annalium Baronius digniſſima obſeruatu annotauit, & poſt eum Antonius poſſeuimus in apparatu Sacro.

Sancta Romana Eccleſia, Hoc decretum extat diſt.15.can.3. lectio eius ab originali tantopere diſcrepat, vt ſatis certo ſtatui non poſſit, quæ ſit vera, & pura Gelaſij,nèc magnoperè mirandum ſit, ſi nonnulla ſint quę difficultatem faciunt: vide Notas emendatorum Decreti Gratiani &c.



CA-

CAPUT XXI.

Ex Lib, 3. decret. tit, 41, cap. 6.

De celebratione Missarum, &c.

INNOCENTIUS TERTIUS Archiepiscopo Lugdunensi.

Si quæ verba sunt in canone missæ, quæ ab Euangelistis dicta non fuerunt, credere debemus, quod à Christo Apostoli, & ab Apostolis eorum Successores acceperunt, & hoc dicit usque ad §. quæsiuisti.

CVM Marthæ: & infra. Quæsiuisti, quis formæ verborum, quam ipse Christus expressit, cum in corpus, & sanguinem suum, panem transubstantiauit, & vinum, illud in canone missæ, quo Ecclesia vtitur generalis, adiecerit quod nullus Euangelistarum legitur expressisse. Cum enim in Euangelio sic legatur: accipiens calicem, gratias agens, benedixit, & dedit discipulis suis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum: in canone missæ, sermo iste, videlicet, Mysterium fidei: verbis ipsis interpositus inuenitur: vnde cum non Euangelista Christum hoc dixisse testetur,

tur, miraris quod aliquis asseuerare tentauerit, eum aliquid plus dixisse, quam aliquis Euangelistarum asseueret. Verum si formam ipsius Canonis inspicias diligenter, præter hoc de quo tua fraternitas requisiuit, alia duo, eleuatis oculis (videlicet) in cælum: & ęterni testamenti: poteris in ipso canone reperire, quæ in textu Euangelico non leguntur. Sane multa tam de verbis, quã de factis Dominicis inuenimus ab Euangelistis omissa, quæ Apostoli, vel suppleuisse verbo, vel facto expressisse leguntur. Paulus enim in actibus Apostolorum sic ait. Meminisse vos oportet verbi Domini, qui dixit, beatius est dare, quam accipere. Hæc nullus quatuor Euangelistarum descripsit. Nullus etiam horum expressit, quæ Paulus de Christo ad Corinthios scribens ait: visus est plus quam quingentis fratribus simul, deinde visus est Iacobo; nouissimè tanquam abortiuo, visus est mihi. Ipsi etiam Euangelistæ mutuo inter se suppleuisse leguntur, quæ ab eorum aliquo, vel aliquibus sunt omissa. Vnde cum tres Euangelistæ posuerint. Hoc est corpus meum; solus Lucas adjecit. Quod pro vobis tradetur. Et cum Matthæus, & Marcus dicant, pro multis; Lucas dicit, pro vobis. Matthæus autem in remissionem peccatorum, adiunxit. Cæterum ea quæ adduntur in canone missæ, possunt ex aliis locis Euangelij comprobariti Ioannes enim suscitationem Lazari de-

ſcribens, Ieſum ſurſum oculos leuaſſe aſſerit, & dixiſſe, Pater gratias ago tibi, quia audiſti me, *& infra*. Si tunc igitur in cælum oculos leuauit ad Patrem cum ad corpus exanimè animam Lazari reuocauit, probabilius videtur eſſe, quod tunc oculos leuauerit ad patrem, in cælum, cum panem, & vinum in corpus, & ſanguinem proprium commutauit. Cæterum ſicut ſuperius eſt expreſſum, cum in textu Euangelico noui teſtamenti, ponatur, hic interponitur, & æterni; nam vetus teſtamentum, quod hircorum, & vitulorum fuit ſanguine dedicatum, temporalia promittebat, nouum autem, quod eſt Chriſti ſanguine conſecratum, promittit æterna, & ideo teſtamentum fuit vetus, & tranſitorium, hoc autem nouum eſt, & æternum, vel, vt vtamur alia ratione, vnde nouum, id eſt, vltimum eſſe deſcribitur, inde æternum, id eſt perpetuum comprobatur. Nouiſſimum etenim hominis teſtamentum immobile perſeuerat: quia teſtatoris obitu confirmatur; iuxta quod Apoſtolus teſtamentum in morte aſſerit confirmatum alioquin non valet, dum vixerit, qui teſtatur; præterea non ſolum ſcriptura, ſed etiam promiſſio dicitur teſtamentum, iuxta quod Apoſtolus ipſe ſcribit. Ideo noui teſtamenti mediator eſt, vt repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt hæreditatis æternæ. Sic ergo intelligi debet, quod in ipſo canone reperitur. Hic eſt ſanguis

meus

meus noui, & æterni testamenti: id est nouæ, & æternæ promissionis, scilicet, confirmatur, sicut Dominus repromittit: qui manducat (inquiens) carnem hanc, & Sanguinem meum bibit, habet vitam æternam. Ex eo autem verbo de quo mouit tua fraternitas quæstionem, videlicet, mysterium fidei; munimentum erroris quidam trahere putauerunt, dicentes in Sacramento Altaris non èsse corporis Christi, & sanguinis veritatem, sed imaginem tantum, & speciem, & figuram pro eo, quod interdum commemorat, id quod scriptura in altari suscipitur esse Sacramentum, & mysterium, & exemplum. Sed tales ex eo laqueum erroris incurrunt, quod nec auctoritates scripturæ conuenienter intelligunt, nec Sacramenta suscipiunt reuerenter. Si enim quia figura est Sacramentum Altaris, veritas esse negatur; ergo nec mors, nec resurrectio Christi (cum figura sit) veritas est credenda; si quidem mortem, & resurrectionem Christi similitudinem, & imaginem esse Apostolus manifestat: Christus (inquiens) mortuus est pro delictis nostris, & resurrexit propter iustificationem nostram. Apostolorum etiam Princeps Petrus in Epistola sua scribit. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Sic ergo tam mors Christi, quam eius resurrectio est exemplum, vt & nos peccato mortui, iustitiæ iam viua-

mus. Quare si non fuit veritas, quia fuit exemplum, ergo nec verum, quod mortuus fuit Christus, nec vere à mortuis resurrexit. Sed absit à fidelium cordibus error iste, cum propheta de ipso testetur, quod vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit, dicitur tamen mysterium fidei, quoniam aliud ibi creditur, quàm cernatur,& aliud cernitur,quam credatur; cernitur species panis, & vini, & creditur veritas carnis, & sanguinis Christi, ac virtus vnitatis, & charitatis: & infra. Distinguendum tamen est subtiliter inter tria, quę sunt in hoc Sacramento discreta, videlicet, formam visibilem, veritatem corporis,& virtutẽ spiritualem. Forma est panis,& vini: veritas, carnis, & sanguinis: virtus, vnitatis, & charitatis. Primum est Sacramentum, & non res; Secundum est Sacramentum,& res; tertium est res gemini Sacramenti. Credimus igitur, quod formam verborum, sicuti in canone reperitur, & à Christo Apostoli, & ab ipsis eorum acceperint successores.

In Sacramento Altaris, aqua cum vino transubstantiatur in sanguinem. Hoc dicit vsque ad §. tertio loco. Abb. Siculus.

Quæsiuisti etiam vtrum aqua cum vino in sanguinem conuertatur. Super hoc autem opiniones apud Scholasticos variantur; aliquibus enim videtur, quod cum de latere Christi duo præcipua fluxerint Sacramen-

ta, redemptionis in sanguine, ac regenerationis in aqua; in illa duo, vinum & aqua, quæ comiscentur in calice diuina virtute mutentur: vt in hoc Sacramento plenè sit veritas, & figura. Alii vero tenent, quod aqua cum vino transubstantiatur in sanguinem, cum in vinum transeat mixta vino: licet physici contrarium asseuerent, qui aquam à vino per artificium posse asserunt separari. Præterea potest dici, quod aqua non transit in sanguinem, sed remanet prioris vini accidentibus circumfusa, ita quod vini saporem assumit: quod ità conuincitur, quia si post calicis cōsecrationem, aliud vinum mittatur in calicem, illud quidem non transit in sanguinem, nec sanguini cōmiscetur, sed accidentibus prioris vini cōmixtum, corpori, quod sub eis latet vndique circumfunditur, non madidans circumfusum: ipsa tamen accidentia vinum appositum videntur afficere, quia si aqua fuerit apposita, vini saporem assumit. Contingit igitur accidentia mutare subiectum, sicut & subiectum contingit accidentia permutare: cedit quippe natura miraculo: & virtus supra consuetudinem operatur. Sed nec inconueniens creditur, aut absurdum, si aqua in corpore Christi esse credatur: cum legatur de ipsius latere processisse; & infra. Verum inter opiniones prædictas, illa probabilior prædicatur, quæ asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari, vt ex-

pressius eluceat proprietas Sacramenti. Nam cum aquæ multæ sint Populi multi, iuxta quod alibi legitur: Beati qui seminatis super omnes aquas: ideo vino aqua vnitur, vt Christo populus adunetur: per hoc enim quod suscepit ipse de nostro, & accepimus ipsi de suo ita insolubili nexu coniungimur, vt qui est vnum cum patre per ineffabilem connexionem, & vnitatem, fiat vnum nobiscum per admirabilem vnionem, ac per hoc, ipso communiter mediante, cum patre vnum efficimur. Pater inquit, Sancte, serua eos, quos dedisti mihi, vt sint vnum sicut & nos: non pro his rogo tantum; sed pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt & ipsi in nobis vnum sint, & mundus credat, quia tu me misisti.

Oratio, quæ dicitur in secreto, in festo S. Leonis, immutata est, quia vbi dicebatur annue nobis Domine, vt animæ famuli tui Leonis hæc prosit oblatio: hodie dicitur: vt intercessione Beati Leonis hæc nobis prosit oblatio, & hæc mutatio contingit, quia Sācti nostris orationibus non indigent, sed nos suis. Hoc dicit vsque ad finem Abbas.

Tertio loco, fraternitas tua requisiuit, quare fuerit mutatum, quod in secreta Beati Leonis, secundum antiquiores codices. Continetur, sic, videlicet; Annue nobis Domine, vt animæ famuli tui Leonis, hæc prosit oblatio: cum in modernis Sacramen-

tarijs habeatur. Annue nobis quæsumus Domine, vt intercessione Beati Leonis, hæc nobis prosit oblatio? Super hoc respondemus, quod cum Sacræ Scripturæ dicat auctoritas, quod iniuriam facit martyri, qui orat pro martyre; idem est ratione consimili de aliis Sanctis sentiendum, quia orationibus nostris non indigent, pro eo quod sint perfectè Beati, omnia eis ad vota succedũt: sed nos potius orationibus eorũ indigemus, quos (cum miseri Simus) vndiq; mala nostra perturbant; vnde quod in plerisque orationibus continetur: Prosit, vel proficiat huic Sancto, vel illi, talis oblatio ad gloriam, & honorem; ita debet intelligi, vt ad hoc prosit, quod magis, ac magis à fidelibus glorificetur in terris; licet plerique reputent non indignum Sanctorum gloriam vsque ad iudicium augmentari; & ideo Ecclesia interim sane posse augmentum glorificationis eorum optare: verum vtrum in hoc articulo locum habeat illa distinctio, qua docetur, quod defunctorum alii sunt valdè boni, alii mediocriter boni, alij valdè mali, alii mediocriter mali, vtique suffragia, quæ fiunt à fidelibus in Ecclesiâ pro valdè bonis, actiones sunt gratiarum; pro valdè malis, consolationes viuorum; explanationes verò pro mediocriter bonis, & propitiationes pro mediocriter malis, tua discretio inuestiget.

Idem Ferrarienſi Epiſcopo.

Hic improbat opinionem, quæ habet, quod in Sacramento Altaris aqua conuertatur in phlegma, & probat Chriſtum fuiſſe verum Deum, & verum hominem, & quod de ipſius latere exiuit vera aqua.

CAP. VIII.

IN quadam noſtra decretali Epiſtola aſſeris te legiſſe illud eſſe nefarium opinari, quod quidam dicere præſumpſerunt, in Sacramento, viz. Euchariſtiæ aquam in phlegma conuerti; nam de latere Chriſti non aquam, ſed humorem aquaticum menti untur exijſſe, & infra.

Nos igitur ad tuæ ſupplicationis inſtantiam reſpondemus. Quod quidã dixerunt, ſed errauerunt, Chriſtum non fuiſſe verum Deum, ſed adoptiuum, vt miſeri Ariani: Alij Chriſtum non fuiſſe verum hominem, ſed phantaſticum, vt impij Manichæi, ſed aduerſus huiuſmodi hæreſes, Ioan. Apoſtolus in Epiſtola ſua loquitur, dicens: Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres vnum ſunt; per hoc intendens oſtendere, quod Chriſtus ſit verus Deus: & tres ſunt qui teſtimonium dant in terra. Spiritus, aqua, & ſanguis; per hoc intendens oſtendere, quod Chriſtus ſit verus homo. Nam ad eſſe homi-

minis duo principaliter exigũtur, videlicet, corpus,& anima,ex quorũ coniunctione verus homo subsistit. Per hoc autem, quod in articulo mortis Christus inclinato capite tradidit spiritum, de quo voce magna clamauerat: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum: manifestè probatur, quod ipse spiritum habebat; non solum flatum vitalem, sed animam rationalem, de qua prædixerat; tristis est anima mea vsque ad mortem: & potestatem habeo ponendi animam meam; & iterum sumendi eam: Per hoc autem quod vnus militum lancea latus eius apperuit, & continuo sanguis exiuit, & aqua: probatur a pertè, quod Christus verum corpus habebat, nam de phantastico corpore nec sanguis, nec aqua potuisset exire: vnde ille qui vidit testimonium perhibuit, & testimonium eius est verum, quia tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua,& sanguis. Quod videlicet Christus sit verus homo ex anima rationali, & humana carne subsistens, probatur ex eò, quod spiritum vitalem emisit: & de verò corpore probatur, quoniam ex eis sanguis exiuit, & aqua, rationalis quippe anima, non posset viuificare, nisi corpus humanũ, ex quibus verus homo consistit. Cæterum sicut fuit verus spiritus, & verus sanguis, ità procul dubio vera aquà: cum Christus sit veritas,& à veritate omnis fallacia alienatur. Nam si nòn fuisset aqua, sed phlegma,

quod

quod de latere Saluatoris exiuit, ille qui vidit, & testimonium de veritate perhibuit, profecto non aquam; sed phlegma dixisset; nec in hoc verum regenerationis Sacramentum esset ostensum, cum per Sacramentum Baptismi non regeneremur in phlegmate, sed in aqua. Neque per hoc posset vero argumento probari, quod in Sacramento Eucharistiæ admiscenda sit aqua vino, si non de latere Christi non aqua, sed phlegma cũ sanguine profluxisset. Sed nec vera fuisset figura, quæ super hac re præcessit in veteri testamento, quando Moyses virga percussit Silicem, & ex ea non phlegma, sed aqua manauit. Restat igitur vt qualiscunque fuerit illa aqua, siue naturalis, siue miraculosa, siue de nouo diuina virtute creata, siue de componentibus ex parte aliqua resoluta, Proculdubio vera fuit; cum naturaliter possit, & compositum in componentia, & elementatum in elementa resolui: quemadmodum verus extitit sudor illius sicut guttæ sanguinis discurrentis in terram. Cum autem ad compositionem humani corporis quatuor elementa concurrant, videlicet, terra, aqua, aer, & ignis: & ad vegetationem eiusdem corporis quatuor humores illis consimiles conueniant videlicet, sanguis, cholera, & phlegma, & melancholia: vt veritatem humani corporis expressius demonstraret, vnum ex illis, & vnum ex

istis

istis Ioannes expressit, illaque potius ex illis, & ex istis, quæ magis mysterio congruebant, ex elementis aquam, & ex humoribus sanguinem: in quibus duobus, duo maximè Sacramenta redemptionis, videlicet, & regenerationis elucent.



CA-

CA-

CAPVT XXII.

Ex lib. 3. decret. tit. 42. de Baptismo, & eius effectu.

Præambulum ex Gratiano

Zacharias Papa, Bonifacio Episcopo in Epistola Decretali.

De Sacerdote qui per ignorantiam linguæ latinæ in inuocatione Trinitatis deliquit.

C. LXXXVI.

RETulerunt Nuntij tui, quod fuerit in eadem Prouincia Sacerdos, qui latinam linguam penitus ignorabat dum baptizaret, nesciens latine eloqui, infringens linguam diceret, baptizo te in nomine Patria, & Filia, & Spiritu Sancta. Ac per hoc tua reuerenda fraternitas considerauit eos rebaptizare. Sed Sanctissime Frater, si ille, qui baptizauit, non errorem introducens, aut hæresim: sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis infringendo linguam, vt supra fati sumus, baptizans dixisset, non possumus consentire, vt denuo baptizentur.

ALE-

ALEXANDER III.

Licet puer sit ter mersus in aqua in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, si non sit dictum: Ego te Baptizo in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti etc. non est Baptizatus.

CAP. I.

SI quis puerum ter in aqua immerserit in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen: & non dixerit, Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen, non est puer baptizatus.

Idem

Si probabiliter dubitatur, an quis fuerit baptizatus, potest Baptizari forma hic expressa.

CAP. II.

De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmissis: Si baptizatus es, non te baptizo: Si nondum baptizatus es: Ego te baptizo, &c.

INNO-

INNOCENTIVS III.

Arelateñ Archiepiscopo.

Sacramentum Baptismi vtiliter confertur Paruulis, licet non credant, nec intelligant, et remittitur eis peccatum originale. Hoc dicit vsque ad §. verum.

CAP. III.

Maiores Ecclesiæ causas, præsertim articulos fidei contingentes ad Petri Sedem referendas intelliget, qui eum quærenti Domino, quem discipuli dicerent ipsum esse, respondisse notabit; Tu es Christus Filius Dei viui,& pro quo Dominum exorasse,ne deficiat fides eius. Quibusdam igitur quæstionibus, quas contra catholicos hæretici mouerant, nos postulas respondere. Asserunt enim paruulis Baptisma inutiliter conferri, quod nituntur probare,illud pr mo & præcipuè inducentes, quia cum secundum verbum Iacobi Apostoli dicentis in Epistola sua; charitas operit multitudinem peccatorum, & iuxta illud testimonium veritatis in Euangelio de peccatrice, quæ ipsius pedes lauerat, perhibentis. Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum: non nisi per charitatem, & in charitate crimina dimittantur: Paruulis, qui nec sentiunt,

tiunt, nec consentiunt, & charitatem non habent, quę sentientibus, & consentientibus tantum infunditur peccatum non dimittitur in Baptismo, & infra Ad id aut taliter respondimus, quod Baptisma circumcisioni successit (absit enim, vt in illam damnatam hæresim incidamus, quæ perperam affirmabat, legem cum Euangelio,& Circumcisionem cum Baptismo seruandam: Quon am secundum Apostolum dicentem ad Galatas Si circumcidamini Christus vobis nihil prodest) cum ergo circumcisio tam adultis, quam paruulis ex præcepto Domini conferretur, ne Babptismo, qui successit loco ipsius, & generalior existit, cum tam viri, quam fęminæ baptizentur, minoris videatur effectus, tam adultis quam paruulis est conferendus. Sicut autem sine distinctione qualibet, Mosayca lex clamabat. Anima cuius præputii caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo; itá nunc indistinctè vox intonat Euangelica; Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum Dei. Ab hac generalitate, nec sexum, nec ætatem excludens. Caute tamen notandum est, quantum plus Baptismus hodie conferat Christian s,quam quōdam circūcisio Iudeis contulisset, dictum est in fine prædictæ auctoritatis, inductæ de veteri lege: peribit de populo suo. In Euangelica vero auctoritate subiunctum est; non intrabit in Regnum Dei,quoniam & si origina-

ginalis culpa remittebatur per circumcisionis mysterium, & damnationis periculum vitabatur, non tamen perueniebatur ad Regnum Cęlorum, quia ante mortem Christi fuit omnibus obseruatum, sed per Sacramentum Baptismi, Christi Sanguine rubricati culpa remittitur, periculum vitatur, & ad Regnum Cęlorum etiam peruenitur, cuius ianuam Christi Sanguis fidelibus suis misericorditer reserauit. Absit, vt vniuersi paruuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin & ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procurauit ad salutem. Cęterum ex vi literæ satis patet, prædictas autoritates intelligendas esse tantum modo de adultis; qui habent multitudinem peccatorum; cum de paruulis non possint intelligi, qui peccato tantum originali tenentur. Similiter, & illa auctoritas est soluenda; qui crediderit, & baptizatus fuerit &c. cum non possint credere paruuli, sed adulti, & ob hoc tota auctoritas de adultis intelligenda est, ne ad alios prima, & ad alios secunda clausula referatur: quamuis nonnulli concedunt, quod paruuli credunt, non per vsum, sed per habitum fidei, quem suscipiunt in baptismo; Sicut & multa alia verba secundum communem vsum loquendi non ad actum, sed ad aptitudinem referuntur, illud vero quod opponentes inducunt, fidem, aut charitatem; aliasque virtutes paruulis, vtpote

non

non consentientibus, non infundi à plerisq; non conceditur absolute, cum per hoc inter Doctores Theologos quæstio referatur; aliis asserentibus per virturem baptismi paruulis quidem culpa remitti, sed gratiam non conferri; Nonnullis dicentibus. Dimitti peccatum, & virtutes infundi habentibus illas quoad vsum donec perueniant ad ætatem adultam.

Originale peccatum, quod sine consensu contrahitur remittitur in Baptismo etiam non consentienti, vt paruulis: secus de actuali: quia non committitur sine consensu, ità non relaxatur sine consensu. h. d. vsque ad §. sed adhuc Abbas.

Verum quidam ex hac solutione inuenisse se credunt viam ad alias quæstiones, argumentantes ex quo, quod dicimus paruulis in Baptismate peccatum originale dimitti, quod & adultis dormientibus, vel amentibus peccatum (si baptizentur) ratione simili dimittatur cum enim neutri sentiant tunc, vel consentiant, dicunt idem in consimilibus iudicandum. Hic vero dicimus distinguendum, quod peccatum est duplex, originale scilicet, & actuale: originale quod absque consensu contrahitur: actuale, quod committitur cum consensu. Originale igitur, quod sine consensu contrahitur, sine consensu remittitur per vim

Sacramenti : actuale vero, quod cum consensu contrahitur, sine consensu minime relaxatur.

Licet in Baptismo remittatur originale peccatum Paruulis, qui tamen consentire non possunt : in adultis tamen amentibus, vel dormientibus qui non consentiunt baptismo, non dimittitur actuale, et item etiam nec originale, hoc dicit.

Sed adhuc quæritur, quare non saltem originale peccatum amentibus, & dormientibus in baptismo, sicut paruulis dimittitur? ad hoc est taliter respondendum, quod Dominus qui totum hominem saluum fecit in Sabbatho, opus imperfectionis non nouit : & ob hoc peccata non ex parte, sed ex toto dimittit : præterea pœna originalis peccati, est carentia visionis Dei: actualis vero pœna peccati, est gehennæ perpetuæ cruciatus ; vnde si dimitteretur alicui primum altero non dimisso, talis non careret visione Dei per originale dimissum, & cruciaretur in gehenna perpetuò propter reatum criminis actualis: sed hæc tanquam incompossibilia, sese minime patiuntur, imò sibi mutuo aduersantur.

Amen-

Digitized by Google

Amentes, et dormientes baptizati, si ante dementiam, vel dormitionem baptizari volebant, charecterem suscipiunt, alias secus, coacti vero causatiue suscipiunt, hoc dicit vsque ad finem.

Item quæritur, vtrum dormientibus, & amentibus Sacramenti saltem character in baptismate imprimatur, vt excitati à somno vel ab ægritudine liberati non sint denuo baptizandi. Sunt autem nonnulli, qui dicunt, quod Sacramenta, quæ per se sortiuntur effectum, vt baptismus, & ordo cæteraque similia, non solum dormientibus, & amentibus, sed inuitis, & contradicentibus, & si non quantum ad rem, quantum tamen ad characterem conferuntur: cum non solum paruuli qui non consentiunt, sed & ficti, qui quamuis non ore, corde tamen dissentiunt, recipiant Sacramentum. Sed opponitur talibus, quod qui fuissent inuiti, & reluctantes immersi, saltem ratione Sacramenti ad Iurisdictionem Ecclesiasticam pertinerent; vnde ad seruandam regulam fidei Christianæ forent rationabiliter compellendi, verum id est religioni Christianæ contrarium, vt semper inuitus, & penitus contradicens, ad recipiendam, & seruandam Christianitatem aliquis compellatur propter quod inter inuitum, & inuitum, coactum, & coactum alij non absurde distinguunt, quod is qui terroribus atque sup-

plicijs violenter attrahitur, & ne detrimentum incurrat, baptismi suscipit Sacramentum, talis (sicut & is, qui ficte ad baptismũ accedit) characterem suscipit Christianitatis impressum, & ipse tanquam conditionaliter volens, licet absolute non velit, cogendus est ad obseruantiam Fidei Christianæ; in quo casu debet intelligi Decretum Concilij Toletani, vbi dicitur, quod qui iampridem ad Christianitatem coacti sunt, sicut factum est temporibus Religiosissimi Principis Sisibinti, quia iam constat eos Sacris diuinis associatos, & baptismi gratiam suscepisse, & chrismate vnctos esse, & corporis Domini extitisse participes; oportet etiam, vt fidem, quam necessitate susceperunt, tenere cogantur: ne nomen Domini blasphemetur, & fides quam susceperunt, vilis ac contemptibilis habeatur, ille vero, qui nunquam consentit, sed penitus contra dicit, nec rem, nec charecterem suscipit Sacramenti, quia plus est expresse contradicere, quam minime consentire: sicut nec ille notam alicuius reatus incurrit, qui contradicens penitus, & reclamans thurificare idolis cogitur violenter. Dormientes autem, & amentes si priusquam amentiam incurrerent, aut dormirent in cõtradictione persisterent; quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare: & sic si fuerint imersi, charecterem non suscipiunt Sacramenti: secus autem si prius Catechumeni

exti-

extitissent, & habuissent propositum baptizandi: vnde tales in necessitatis articulo cõsueuit Ecclesia baptizare. Tunc ergo characterem Sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non inuenit obsistentem.

Idem Meteñ Episc.

Nemo potest seipsum Baptizare, etiam instante necessitatis articulo.

C A P. I V.

Debitum, & infra sane intimasti, quod quidam Iudæus in mortis articulo constitutus, cum inter Iudæos tamen existeret, in aquam seipsum immersit, dicendo; Ego baptizo me in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen: & infra, Respondemus quod cum inter baptizantem,& baptizatum debeat esse discretio sicut ex verbis Domini colligitur dicentis Apostolis. Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: Memoratus Iudæus est denuo ab alio baptizandus; vt ostendatur, quod alius est, qui baptizatur, & alius, qui baptizat, ad quod etiam designandum ipse Christus non à se ipso, sed à Ioanne voluit baptizari: quamuis si talis continuo, decessisset, ad cœlestem patriam protinus euolasset, propter Sacramenti fidem, & si non

propter fidei Sacramentum. In] baptismo quippe illa spiritualis generatio celebratur, de qua veritas ait: oportet vos nasci denuo: quia nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cœlorum. Sicut ergo in carnali generatione, qua proles ex viro,& fęmina nascũtur, alius est, qui carnaliter gignit, & alius, qui carnaliter gignitur: sic & in Sacramentali generatione, qua soboles ex aqua, & Spiritu Sancto renascitur, alius debet esse qui spiritualiter generet, & alius qui spiritualiter generetur. Sane cum corpus exterius, siue cum cor interius baptizatur, oportet, vt vtrobique paternitas, & filiatio inueniatur, quibus baptizans, & baptizatus ad inuicem referantur.

Idem Morosien Episcopo.

Vbi deest verbum, vel elementum aquæ non est Baptismi Sacramentum.

CAP. V.

Non vt apponeres: & infra, postulasti vtrum paruuli sint pro Christianis habendi, quos in articulo mortis constitutos propter aquæ penuriam, & absentiam Sacerdotis, aliquorũ simplicitas in caput & pectore ac inter scapulas pro baptismo saliuæ conspersione liniuit. Respondemus, quod cum in

baptis-

baptiſmo duo ſemper, videlicet, verbum, & elementum neceſſario requirantur, iuxta quod de verbo veritas ait. Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ, & baptizate omnes gentes in Nomine Patris &c. eademque dicat de elemento; niſi quis renatus fuerit ex aqua &c. dubitare non debes illos verum non habere baptiſmum, in quibus non ſolum vtrumque prædictorum, ſed eorum alterum eſt omiſſum.

Idem in Conc. Generali.

Babtizatos à Latinis, Græci baptizare non debent.

C A P. V I.

Licet Græcos diebus noſtris ad obedientiam Sedis Apoſtolicæ reuertentes, fouere ac honorare velimus, mores ac ritus eorum (in quantum in Domino poſſumus) ſuſtinendo, in his tamen illis deferre non volumus, nec debemus, quæ periculum generant animarum, & Eccleſiaſticæ derogant honeſtati. Poſtquam, Græcorum Eccleſia, cum quibuſdam complicibus, & fautoribus ſuis ab obedientia Sedis Apoſtolicæ ſe ſubtraxit, in tantum Græci cœperunt abominari Latinos, quod inter alia, quæ in derogationem eorum impie committebant, ſi quando Sacerdotes Latini ſuper eorum ce-

Ex eodem lib. tit. 43.

De Presbitero non baptizato.

Ex Conc. apud Compendium.

Si non baptizatus ordinatur, ordinis characterem non recipit.

C A P. I.

Si quis Presbiter ordinatus, offenderit se non esse baptizatum, baptizetur, et iterum ordinetur.

I N N O C E N T I V S I I I.

Episcopo Cremon.

Omissio Baptismi non nocet credenti probabiliter se esse Baptizatum.

C A P. I I.

Apostolicam sedem consulere decreuisti, & infrà, vnde inquisitioni tuæ taliter respõdemus, presbyterum, quem sine vnda baptismatis extremum diem clausisse significasti: quia in Sanctæ Matris Ecclesiæ fide, & Christi nominis confessione perseuerauit ab originali peccato solutum; & cœlestis patriæ gaudium esse adeptum asserimus incun-

ctan-

ctanter, lege super octauo lib. Augustini de ciu, Dei vbi inter cœtera legitur: Baptismus inuisibiliter administratur, quem non contemptus religionis, sed terminus necessitatis excludit. lib. etiam B. Ambrosii de obitu Valentiniani idem asserentis, reuolue. Sopitis igitur quæstionibus Doctorum Patrum sententias teneas: & in Ecclesia tua iuges preces hostiasque Deo offerri iubeas pro presbytero memorato.

INNOCENTIVS III.
Ferrarieñ Episcopo.

Non Baptizatus ordinari non potest, & si de facto ordinetur, non recepit ordinis characterem, licet credatur baptizatus.

CAP. III.

Veniens ad Apostolicam Sedem I. lator præsentium, nobis exposuit, quod cum ad gradum Sacerdotij ascendisset comperit tādem quod non fuerit secundum formam Euangelii baptizatus, vnde nos etiam rite fecimus baptizari. Cumque super ordinibus fuisset diutius disputatum, quidam in eam declinauerunt sententiam, vt cum baptismus sit fundamentum omnium Sacramentorum, ante susceptionem baptismi non suscipiatur aliud Sacramentum; quoniam vbi fundamentum non est, super ædificari non

potest

poteſt, porrò è contra videri poſſ.t. Nam cum quis non ſolum ,per Sacramentum fidei, ſed per fidem etiam Sacramenti, efficiatur proculdubio membrum Chriſti: & qui Chriſtum habet per fidem, etiam ſi baptiſmum non habeat, habet vtique fundamentum, præter quod aliud poni non poteſt, quod eſt Chriſtus Ieſus:ſuper ædificare poſſe videtur ſicut ſalutifera opera, ſic & quælibet Eccleſiaſtica Sacramenta: cum illud non ſit generaliter verum, neque de nouis,neque de veteribus Sacramẽtis, quod baptiſmus ſit Sacramẽtum illorum,quoniã & Sacramentum coniugij, & Euchariſtiæ, a non baptizatis recipi poteſt, præterea Sacramentum ordinis non ſolum Pontificalis,ſed Sacerdotalis etiam,& Leuitici ex inſtitutione ſua præceſſit baptiſmum, per quod forſitan videtur, quod ante baptiſmum huiuſmodi ordines poſſent ritè conferri,maximè his qui baptizati eſſe creduntur.

Quia vero in concilio apud Compendiũ legitur conſtitutum: quod ſi quis in presbyterum ordinatus deprehenderit ſe non eſſe baptizatum, baptizetur, et iterum ordinetur. Nos circa latorem præſentium in hoc dubitabili caſu, quod tutius eſt ſequentes: Mandamus, quatenus ipſum per ſingulos ordines vſque ad ſacerdotium promouere procures, & permittas eum in Sacerdotio miniſtrare, quia non intelligitur iteratum, quod ambigitur eſſe factũ: nec male

de

de Sacramento ſentitur, cum illud non religionis contemptus, ſed articulus neceſſitatis excludit, & certe de illo qui natus Chriſtianis parentibus & inter chriſtianos eſt fideliter conuerſatus, tam volenter præſumitur, quod fuerit baptizatus, vt hæc præſumptio ſit pro certitudine habenda, donec euidentiſſimis forſitan argumentis contrarium probaretur.

***



CA-

Digitized by Google

CAPVT XXIII.

de Diuortijs.

Ex lib.4. decret. tit.17.

INNOCENTIVS III.

Ferrariesi Episcopo.

Vinculum coniugale non dissoluitur altero coniugum fidelium in hæresim lapso: sed si vnus fidelium coniugum conuertatur ad fidem, & alter nolit sibi cohabitare, & non sine blasphemia, vel sine peccato mortali, soluitur coniugium, & conuersus contrahere poterit.

CAP. VII.



VANTO te nouimus in Iure Canonico peritum: & infra. Sane tua fraternitas intimauit, quod altero coniugum ad hæresim transeunte, qui relinquitur, ad secunda vota desiderat conuolare, quod vtrum possit fieri per tuas nos duxisti literas consulendos. Nos igitur consultationi respondentes distinguimus, licet quidam

quidam prædecessor noster sensisse aliter videatur: an ex duobus infidelibus, alter ad fidem catholicam conuertatur: vel ex duobus fidelibus alter ad hæresim labatur, vel decidat in gentilitatis errorem. Si enim alter infidelium coniugum ad fidem catholicam conuertatur, alter vel nullo modo, vel non sine blasphemia diuini nominis, vel vt eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente: qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit: & in hoc casu intelligimus quod ait Apostolus: si infidelis discedit, discedat: frater enim, vel Soror non est seruituti subiectus in huiusmodi: & Canonem etiam, in quo dicitur, contumelia creatoris soluit ius matrimonij, circa eum, qui relinquitur. Si vero alter fidelium coniugum, vel labatur in hæresim, vel transeat ad gentilitatis errorem, non credimus quod in hoc casu, is qui relinquitur, viuente altero possit ad secundas nuptias conuolare, licet in hoc casu maior appareat contumelia creatoris. Nam & si matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum; inter fideles autem verum & ratum existit: quia Sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquã amittitur, sed ratum efficit coniugij Sacramentum, vt ipsum in coniugibus], illo durante, perduret. Nec obstat quia à quibusdam forsan obijcitur, quod fidelis relictus non debet iure suo sine culpa priuari: cum

in

in multis casibus hoc contingat, vt si alter coniugum incidatur, per hanc responsionē quorumdam malitiæ obuiatur, qui in odiū coniugum, vel quando sibi inuicem displiceret, si eas possent in tali casu dimittere, simularent hæresim, vt ab ipsa (nubentibus coniugibus) resilirent. Per hanc ipsam responsionem, illa soluitur quæstio, qua queritur, vtrum ad eum qui ab hæresi, vel infidelitate reuertitur, is qui permansit in fide, redire cogatur.

Idem Tiberiadeñ Episcopo.

Pagani iuncti in gradu prohibito lege canonica tantum conuersi ad fidem, non separantur; Si paganus prius plures habebat vxores, post fidem susceptam adhærebit Primæ, hoc secundo. Et si repudiata vxore cum secunda contraxerit, etiam post baptismum dimittet secundam, & adhærebit primæ repudiatæ, etiamsi repudiata cum alio contraxisset: secus si fornicata fuisset, hoc tertio.

CAP. VIII.

Gaudemus in Domino: & infra vtrum Pagani vxores accipientes in secundo, vel tertio, vel vlteriore gradu sibi coniunctas, sic coniuncti debeant post conuersionem suam insimul remanere, vel ab inuicem separari, edoceri per scriptum Apostolicum postu-

postulasti. Super quo taliter respondemus, quod cum Sacramentum coniugij apud infideles, & fideles existat, quemadmodum ostendit Apostolus dicens. Si quis frater infidelem habeat vxorem, & hæc consentiat habitare cum eo, non illam dimittat, & in præmissis gradibus à paganis quoad eos matrimonium licite sit contractum, qui constitutionibus canonicis non arctantur(quid enim ad nos, secundum Apostolum eundẽ de his, qui foris sunt Iudicare?) in fauorem præsertim Christianæ Religionis & fidei, a cuius perceptione se deferri timentes viri, possunt facile reuocari: fideles huiusmodi matrimonialiter copulati liberè possunt & licitè remanere coniuncti, cum per Sacramentum Baptismi non soluantur coniugia, sed crimina dimittantur. Quia vero Pagani circa plures insimul fęminas affectum diuidunt coniugalem, vtrum post conuersionem omnes, vel quam ex omnibus retinere valeant, non immeritò dubitatur, & infra, verum absonum hoc videtur, & inimicum fidei Christianæ, cum ab initio vna costa in vnam fœminam sit conuersa, & scriptura diuina testetur quod propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ,& erunt duo in carne vna: non dixit tres, vel plures, sed duo,nec dixit adhærebit vxoribus,sed vxori, & infra. Nec vlli vnquam huiusmodi licuit plures vxores habere, nisi cui fuit diuina

uina reuelatione concessum, qua mos quandoque interdum etiam fas censetur, per quam sicut Iacob à mendacio, Israelitæ à furto, & Samson ab homicidio, sic & Patriarchæ, & alij viri iusti, qui plures leguntur habuisse vxores ab adulterio excusantur. Sane veredica hæc sententia probatur etiam testimonio veritatis testantis in Euangelio; Quicumque dimiserit vxorem suam ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur; Si ergo, vxore dimissa, Duci alia de iure non potest, fortius & ipsa retenta, per quod euidenter apparet pluralitatem inutroque sexu, cum non ad imparia iudicentur circa matrimonium reprobandam. Qui autem secundum ritum suum legitimam repudiauit vxorem, cum tale repudium veritas in Euangelio reprobauerit, nunquam ea viuente licite poterit, aliam etiam ad fidem Christi conuersus habere, nisi post conuersionem illa renuat cohabitare cum illo; aut etiam si consentiat, non absque contumelia creatoris, vel vt eum pertrahat ad mortale peccatum: in quo casu restitutionem petenti, quamuis de iniusta spoliatione constaret, restitutio negaretur: quia secundum Apostolum, frater, aut soror non est in huiusmodi subiectus seruituti. Quod si conuersum ad fidem & illa conuersa sequatur, antequam propter causas prædictas legitimam ille ducat vxo-

 rem,

rem, eam recipere compelletur, quamuis quoque ſecundum Euangelicam veritatem, qui duxerit dimiſſam mæchatur, non tamen dimiſſor poterit obijcere fornicationem dimiſſæ, pro eo quod nupſit alij poſt repudium, niſi alias fuerit fornicata.

†



Digitized by Google

CAPVT XXIV.


Declarationes nonnullę Gregorij Noni, Alexandri, & Innocentij IV. Ioannis XXII. Benedicti XII. & Pij Secundi.

Approbatio veritatis Sacrorum Stigmatum Sancti Francisci de Assisio.

Constitutio Gregorij Noni.

GREGORIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei.

Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus Archidiaconis, Presbyteris, Decanis, & alijs Ecclesiarum Pralatis, ad quos littera ista peruenerint.



Onfessor Domini gloriosus Beatus Franciscus, qualis vitæ meritis processerit ad patriam perpetuæ claritatis, explicare litteris arbitramur fore superfluum, cum id ferè peruenerit ad fidelium notitiam singulorum.

Verūtamen grande, ac singulare miracu-

 lum,

lum, quo ipſum Sanctorum ſplendor, & gloria Dominus Ieſus Chriſtus mirabiliter decorauit vniuerſitati veſtrę tenore præſentium non indignè duximus exprimendum: videlicet, quod idem Sanctus cum adhuc ſpatium præſentis vitæ percurreret, & poſtquam illud feliciter conſumauit, manibus, latere, ac pedibus ſpecie Stigmatum diuinitus extitit inſignitus. Quo ad noſtram, & fratrum noſtrorum deducto notitiam, & cum cæteris eiuſdem miraculis per Teſtes fide digniſſimos probato, ſolemniter ex ipſo ſpecialem cauſam habuimus, quod Confeſſorem eumdem de dictorum fratrum, & omnium Prælatorum conſilio, qui tunc apud Sedem Apoſtolicam exiſtebant, Sanctorum Cathalogo duximus adſcribendum.

Igitur cum ab vniuerſis fidelibus, & vobis præcipuè firmiter credi cupiamus deuotiones veſtras rogamus, & hortamur in Domino Ieſu Chriſto in remiſſionem veſtrorum peccatorum iniungendo, quatenus ab aſſertione contrarij aures de cætero penitus auertentes Confeſſorem eundem apud Dominum pia vobis reddatis veneratione propitium, vt eius precibus, ac meritis in præſenti à Domino proſperitatis gaudium, & in futuro fælicitatis ęternæ percepiſſe ſolatium exultetis.

Datum Viterbij 3. kalendas Aprilis anno vndecimo Pontificatus noſtri.

ALE-

ALEXANDRI QVARTI

Comprobatio veritatis Stigmatum Sancti Francisci de Assisio cum pœnarum impositione aduersus alitèr affirmantes.

ALEXANDER EPICOPVS

Seruus Seruorum Dei.

Ad Perpetuam rei memoriam.

Venerabilibus fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, & alijs Ecclesiarum Prælatis præsentes litteras inspecturis, & audituris salutem, & Apostolicam Benedictionem.

BEnigna operatio Diuinæ voluntatis in cœlo potens, & innouans singula sapienter, & immutans mirabilia super terram. postquam Dei filius victor mortis ad Patrem, vnde descenderat, vehiculo propriæ Maiestatis ascendit, mirificę fortitudinis viros ad consummationem Sanctorum diuersis temporibus suscitauit, à quibus testimonium spei gloriæ cum Christo in Deo reconditæ firmaretur, & Ecclesiæ Sanctæ ad promissam requiem festinandi in hoc peregrinationis exilio, quod tędiosa desiderij

eius dilatione protrahitur per ipsos consolationis solatium perueniret.

Inter alios autem diebus nostris B. Franciscus almus Christi Confessor apparuit signis, & virtutibus gloriosus. Qui clarissimus piè viuendi meritis,&exemplis sanctam fœcundauit Ecclesiam, & caligantia præsentis ætatis tempora fulgoris sui lampade illustrãs, viã Iustitiæ perfectè præparans, in eremo alti ssimæ paupertatis, quam ipse currens, & alacritèr exultãs contra carnem, Mundum, & Dæmonem velut Gigas, traxit post se de Inferi faucibus, & traduxit ad Dominum populum humilem, bonorum operum sectatorem, sicut effusa super faciem orbis terræ copiosa professionis eius religiosa generatio patefacit.

Vt autem ad illuminationem gentium, celebris eius memoria tãquã rutilum sidus in corusco firmamẽti mystici æthere seruaretur, multis eum diuina potentia ad huc militantem inter homines, & demum in sanctorum agmine triumphantem dignata est clarificare miraculis: quæ fælic. record. Gregorius Papa Prædecessor noster ne illa, vel peruerteret æmula sanctitatis iniquitas, vel obliuionis digitus, qui rebus gestis cito superducitur, abolesceret solemnissimis inquisitionibus indagata, & cõprobata fidelissimis documentis fecit ad laudem Dei, & augmentum fidei, & instructionem salubrem tàm præsentium, quam etiam futurorum

rum

rum munimentis perpetuis commendari; eumdem confessorum sanctorum Catalogo ascribendo, sicut in primis locis liquido per ipsius prædictas litteras apparet, horum seriem explicitè continentes.

Porro quia longum esset nedum exarare per singula, verum etiã succincta relatione perstringere clara virtutis diuinæ prodigia, quæ tàm in operationibus sanctitatis, quàm etiam in alijs mirabilibus argumentis probauerunt, eundem Confessorem cum sanctis solium gloriæ in excelsis, signanter vobis ante oculos proponere volumus, recolenda frequentius, & vehementius admirãda illa satis iocunda dominicæ passionis insignia, quæ in eiusdem sancti corpore, dum adhuc vitali spiritu foueretur, manus cœlestis operationis impressit. Viderunt namque oculi fideliter intuentes, & certissimi contrectantium digiti palpauerunt, quod in manibus eius, & pedibus expressa vndique similitudine Clauorum, de subiecto propriæ carnis excreuit, vel de materiæ nouæ creationis accreuit: Quæ equidem idem sanctus studiosè ab oculis hominum, quorum refugiebat gloriam, dùm viueret abscondebat. Inuenta est patentius in ipsius defuncti corpore non inflicta humanitùs, nec facta plaga vulneris lateralis, quasi aliquod instan lateris Saluatoris, quod redemptionis, & regenerationis humanæ in Redemptore nostro protulit Sacramentum; quæ quidem plaga

 sicut

ſicut quoſdam ex fratribus ſibi familiariter adhærentibus latere non potuit, propter defluxum humoris diù antea viruerat in viuente.

Hęc igitur mira, & decora nouæ demonſtrationis indicia magnæ dicuntur eſſe deuotionis diuitiæ Chriſtianis, & ineſtimabiles religionis delicię in ſpiritualibus communis Eccleſiæ orthodoxæ theſauris. Cum ex his ſincera fides accipiat, quòd etiam illi fuerint paſſionis Chriſti ſine extrinſeco perſecutore conſortes, qui pro eius amore, carnem ſuam cum vitijs, & concupiſcentijs voluntariè crucifigunt. Sanè de præfato ſancto, hæc certius aſſerentes indoctas fabulas, ſeù vanæ adinuentionis deliramenta non ſequimur, cum ea nobis dudum nota fuerit plenior fides rerum. Quando videlicet nos in minoribus conſtituti confeſſoris eiuſdem familiarem ex munere diuino meruimus habere notitiam, præfati prædeceſſoris noſtri domeſticis obſequijs tunc temporis inſiſtendo.

Cum igitur oporteat cauere prudentèr, nè tanta patrocinij gratia humano generi cælitus in memorato confeſſore collata, in vacuum aſſumatur, vniuerſitatem veſtram rogamus, monemus hortamur attentè per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes quatenus eiuſdem Confeſſoris precioſa merita, & miraculorum magnalia, & ſalutarem memoriam, celebritate annua, prædicatione frequen-

quenti, & veneratione recensentes ad ipsius deuotionem, & gratiæ diuinæ memoriam subditos vestros celebribus monitis excitetis. Vt eo, pro vniuerso fidelium Populo, ac præsertim pro his, qui se inuocauerint, diuinam misericordiam implorante, mereantur supplices, quod operum possibilitas obtinere non potest, eius intercessionibus impetrare. Nemo itaque eidem sancto audeat de cætero esse molestus, in corpore suo Christi triumphalia Stigmata præferenti. Si quis igitur spiritu temerariæ præsumptionis insaniens diuini muneris inuidus Apostolica iudicia, sacrilegus impugnator, præmissa, vel alia prodigiorum signa, quibus in Ecclesia Dei sanctitas prædicti Confessoris eluxit, improbæ contradictionis morsibus obtrectanda crediderit, volumus, & mandamus, vt eum sanæ menti restituat iudicialis seueritas disciplinæ. Ita quod districta proprij Prælati castigatione correctus, Dei opera blasphemare dediscat; & fidei Catholicæ fructus de pia mirabilium Domini credulitate pullulans non arescat: Nulli ergo &c.

Datum Anagniæ quarto Kalendas Nouembris Pontificatus nostri anno primo.



De-

Definitio quorundam articulorum ritus Græcorum.

INNOCENTIVS PAPA IV.

Episcopo Tusculano Apostolicæ Sedis Legato.

SVb Catholicæ professione fidei, atque cultu consistere, ac proficere vniuersos cæteris nostræ mentis desiderabilibus præferentes, illud tamquam desiderabilius pleniori desiderio cupimus, & ad hoc velut operatiuum salutis præcipuum intimis affectibus anxius aspiramus. Hæc inquam vnio, siue connexio cordi nostro inæstimabilis gaudij rorem infunderet si varias gentium nationes eiusdem obseruantia fidei in vnum acceptabilem Christo populum adunaret. Id vtique anxiæ nostræ mentis ardorem affluẽtis lætitię infrigeraret irriguo, si omnes quos olim in vnum Catholicum gregem, ouile collegit Domini, cum multi ab eo discesserint, in idem indiuiduum Collegium vnius Pastoris solidaret magisterium, & custodia communiret. O si orienalibus oriens ex alto luceret, & sui luminis illustratione, ipsos ad Catholicam reduceret vnitatem, & cum reliquis orthodoxis in vnius Aulæ collecti gremio, de Matris Ecclesiæ vbere fluenta doctrinæ salutaris haurirent. Tunc ipsi Ecclesiæ proueniret magnum, & desiderabile sa-

ſalutare, tunc eius vterus ſobole geminata concreſceret, tunc orientalibus oriretur ſupernæ illuminationis aurora, tunc eis clareſceret Lucifer veritatis, tunc per vniuerſam Eccleſiam inundantis gaudij erumperet plenitudo, tunc exultatione nimia clareſceret totus orbis, quia valdè bonum, & iucundum exiſteret fratres ſimul in domo Domini habitare, tunc eadem Eccleſia multiplicata lætitia nouæ iucunditatis canticum perſonaret: verum quia nonnulli Græcorum iam dudum ad deuotionem Sedis Apoſtolicæ redeuntes, ei reuerenter obediunt, & intendunt, licet, & expedit, vt mores, ac ritus eorum, quantum cum Deo poſſumus, tolerantes, ipſos in Eccleſiæ Romanæ obediētia præſeruemus. Quamquam in his, quæ animarum periculum parerent, vel honeſtati Eccleſiaſticæ derogarent, nec debeamus illis deferre aliquatenus, nec velimus.

Sanè inter venerabilem fratrem noſtrum Archiepiſcopum Nicoſien. & eius ſuffraganeos latinos ex parte vna, & Epiſcopos Græcos Regni Cypri ex altera de quibuſdam certis articulis diſcordiam, & turbationem fore ſubortam, & eorundem tenorem articulorum, ac reſponſiones ipſorum Græcorum ad illos nobis, vt melius poſſemus inſtrui ſuper eis plenè, ac proindè per tuas litteras intimaſti ſollicitè requirendo, vt prouidere ſuper hoc apoſtolica diligentia curaremus. Nos

Nos autem litteris ipsis affectuosè receptis, earum seriem, & ipsos articulos, ac responsiones easdem, & cætera, quę continebantur in illis vnacum fratribus nostris perlegimus, & intelleximus diligentèr, prudentiam tuam multiplicitèr in Domino commendantes, & meditantes, ac deliberantes super his, prout rei qualitas exigebat.

Circa hæc itaque sic deliberatio nostra resoluit, vt Græci eiusdem Regni in vnctionibus, quæ circa baptisma fiunt morem Ecclesiæ Romanæ teneant, & obseruent. Ritus verò, seù consuetudo, quam habere dicuntur vngendi per totum, baptizandorum corpora, si tolli sine scandalo, vel remoueri non potest, cum siuè fiat, siuè non, quantum ad baptismi efficaciam, vel effectum non multum referat, toleretur. Nec refert etiam vtrum in frigida, vel calida aqua baptizent, cum parem vim, & effectum in vtraque baptismum habere asseuerare dicantur.

Soli autem Episcopi consignent Chrismate in frontibus Baptizatos, quia huiusmodi vnctio nō debet, nisi per Episcopos exhiberi. Quoniam soli Apostoli, quorū vices gerunt Episcopi, per manus impositionem, quam confirmatio, vel frontis Chrismatio repræsentat, Spiritum Sanctum tribuisse leguntur. Singuli quoque Episcopi in suis Ecclesijs in die Cœnæ Domini possunt, secundum formam Ecclesiæ, Chrisma conficere, ex bal-

sa-

ſamo quidem, & oleo oliuarum. Nam Spiritus Sancti donum in Chriſmatis vnctione confertur, & columba vtiquè, quæ ipſum deſignat ſpiritum, oliuæ ramum ad arcam legitur retuliſſe. Sed ſi ſuum antiquum ritum in hoc Græci potius ſeruare voluerint. videlicet, quod Patriarcha vnacum Archiepiſcopis, & Epiſcopis eius ſuffraganeis, & Archiepiſcopi cum ſuffraganeis ſuis, ſimul Chriſma conficiant, in tali eorum conſuetudine tolerentur.

Nullis autem per Sacerdotes, vel Confeſſores pro ſatisfactione pœnitentiæ vnctio aliqua ſolummodo inungatur. Infirmis verò iuxta verbum Iacobi Apoſtoli vnctio exhibeatur extrema. Porrò in appoſitione aquæ ſiuè calidæ, ſiuè tepidæ in Altaris ſacrificio, Græci ſuam ſi velint conſuetudinē ſequantur, dummodo credant, & aſſerant ſeruata canonis forma, quod conficiatur paritèr de vtraque.

Sed Euchariſtiam in die Cœnæ Domini conſecratam vſque ad annum prætextu infirmorum, vt de illa videlicet ipſos communicent, non reſeruent. Liceat tamen eis pro infirmis ipſis corpus Chriſti conficere, ac per quindecim dies, & non longiori temporis ſpatio conſeruare. Ne per diutinam ipſius ſeruationem, alteratis forſitan ſpeciebus reddatur minus habile ad ſumendum: licet veritas, & efficacia ſemper eadem omninò remaneat, nec vlla vnquam diuturnitate,

ſeu

ſeù volubilitate temporis euaneſcat.

In celebratione verò ſolemnium, & aliarum Miſſarum, & de hora celebrandi eas, dummodo in confectione, vel conſecratione formam verborum à Domino expreſsã, & traditam obſeruent, & celebrando non transgrediantur horam nonam, ſuam ſequi conſuetudinem remittantur.

Sacerdotes dicant horas canonicas more ſuo, ſed miſſam celebrare priuſquam officium matutinale compleuerint, non præſumant,

Promouendi verò ad Sacerdotium, & Presbyteri, qui præficiendi fuerint Eccleſiarum regimini, examinentur anteà diligenter, ſi præcipuè de horis Canonicis, & Miſſarum officijs, ſecundum diſtinctionem temporum exequendis ſint ſufficienter inſtructi, vt ad hæc non niſi digni, & idonei admittantur.

Cęterum vnuſquiſque Sacerdos in aureo, vel argenteo ſolum, aut ſaltem ſtanneo calicè ſacrificet, habens corporale de lino candidum, & nitidum, & altare mundis veſtimentis opertum, vel decentibus paramentis.

Mulieres autem ad altare ſeruire non audeant, ſed ab illius miniſterio penitus repellantur.

De ieiunio verò diei Sabathi quadrageſimali tempore (quamquam honeſtius, & ſalubrius Græci agerent ſi ſic toto illo tem-

pore

pore abstinerent, vt nec vnico die institutum ieiunium violarent) teneant, & seruent pro libito morem suum.

Sacerdotes quoque coniugati, & alij, quibus Parochiarum cura, vel Ecclesiarum Parochialium regimen per Episcopos suos committitur licitè, & liberè possint Parochianorum suorum confessiones audire, ipsisque pœnitentiam iniungere pro peccatis, quia cui licet, vel conceditur, quod est maius, competit nimirum, nec negari conuenit, quod est minus; liberum tamen sit ipsis Episcopis viros alios idoneos Coadiutores, & cooperatores habere in audiendis confessionibus, & pœnitentijs iniungẽdis, & cæteris, quæ ad salutem pertinent animarum, ipsique in his per eorum Diœceses absque Sacerdotum ipsorum præiudicio, & grauamine committere vices suas, cum propter occupationes multiplices, & occasiones varias possit contingere, quod nequeant per easdem Diœceses officium exequi per se ipsos,

De fornicatione autem, quam solutus cum soluta committit, quin sit mortale peccatum non est aliquatenus ambigendum, cùm tam fornicarios, quàm Adulteros à Regno Dei Apostolus asserat alienos.

Adhæc volumus, & expresè præcipimus, quod Episcopi Græci septem ordines secundum

pum

dum morem Ecclesiæ Romanæ de cætero conferant, cum huc vsque tres de minoribus circa ordinandos neglexisse, & prætermisisse dicantur. Illi tamen, qui iam sunt taliter ordinati per eos, propter nimiam ipsorum multitudinem in sic susceptis ordinibus tolerentur.

Quia verò secundum Apostolum mulier mortuo viro ab ipsius est lege soluta, vt nubendi, cui vult in Domino, liberam habeat facultatem, secundas, & tertias, ac vlteriores etiam nuptias Græci non reprehendant aliquatenus, nec condemnent, sed potius illas approbent inter personas, quæ alias licitè adinuicem matrimonio iungi possunt. Secundo tamen nubentes Presbyteri nullatenus benedicant.

Et quoniam apud eos consueuerunt contrahi matrimonium inter personas contingentes se, iuxta eorum computationem, octauo gradu, qui secundum computationem, & distinctionem graduum, quam nos facimus, apud nos quartus habetur, ne id præsumatur deinceps firmiter prohibemus. Districtè præcipientes, vt cum in vlterioribus gradibus licitè matrimonia contrahantur, in prædicto quarto consanguinitatis gradu, copulari vlterius non præsumant, statutum in hoc generalis Concilii obseruantes. Illos tamen, qui iam in gradu huiusmodi contraxerunt, dispensatiuè permittimus in sic contracto matrimonio permanere.

De

Denique cum veritas in Euangelio asserat, quod si quis in Spiritum Sanctum blasphemiam dixerit neque in hoc sæculo, neque in futuro dimittetur ei, per quod datur intelligi quasdam culpas in præsenti, quasdã verò in futuro posse sæculo relaxari,& Apostolus dicat,quod vniuscuiusque opus,quale sit, ignis probabit, & cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem, & ipsi Græci verè, ac indubitantèr credere, ac affirmare dicantur, animas illorum, qui suscepta pœnitentia, ac non peracta, vel qui sine mortali peccato, cum venialibus tamen, & minutis decedunt,purgari post mortem,& posse suffagijs Ecclesiæ adiuuari. Nos quia locum purgationis huiusmodi dicunt non fuisse sibi ab eorũ Doctoribus certo, & proprio nomine indicatum, illum quidem iuxta traditiones, & auctoritates Sanctorum Patrum,Purgatorium nominantes,volumus quod de cætero apud ipsos isto nomine appelletur, illo enim transitorio igne peccata vtique, non tamen criminalia, seù capitalia, quæ prius per pœnitentiam non fuere remissa, sed parua, & minuta purgantur, quæ post mortem etiam grauant si in vita fuerunt relaxata.

Si quis autem absque pœnitentia in peccato mortali decedit, hic proculdubio æternæ gehennæ ardoribus perpetuo cruciatur.

Animæ verò paruulorum post baptismi lauacrum, & adultorum etiam in charitate decedentium, qui nec peccato, nec ad satisfactionem aliquam pro ipso tenentur, ad patriam protinùs transulant sempiternam.

Ordinationes demum, & instituta regularia Sanctorum Patrum de vita, & statu Monachorum, præcipimus ab Abbatibus, & Monachis Græcis inuiolabiliter obseruari.

Fraternitatem itaque tuam hortamur attentè per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus præmissa omnia Episcopis Græcis præfati Regni, seriatim, & diligenter exponi facias districtè ipsis iniungens, vt ea sollicitè attendere, studiosè tenere, ac efficaciter obseruare procurent, & à suis faciant subditis obseruari. Memoratis autem Archiepiscopo Nicosien. & eius suffraganeis latinis firmiter auctoritate nostra præcipias, vt eosdem Græcos super præmissis contra huiusmodi prouisionem, & deliberationem nostram non inquietent aliquatenus, nec molestent. Contradictores eadem auctoritate appellatione postposita, compescendo.

Non obstantibus si prædictis Archiepiscopo. & suffraganeis, vel quibuscumque à Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum non facientes de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Laterani 2. nonas Martij an. 11.

Dam-

Damnatio errorum Marsilij de Padua, & Ioannis de ganduno per Ioannem 22. extrauag. licet iuxta, apud Odericum Rainaldum Tom. 15. ad annum 1327. à num. 27.

IOANNES EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

LIcet iuxta doctrinam Apostoli ob id esse hæreses sit necesse, vt fiant qui probati sunt, apertius manifesti; quia tamen iuxta doctrinam eiusdem Apostoli, hæreticorum Sermo, vt cancer serpere, idest, à paruo ad maius paulatim tendere consueuit, necesse est, vt talibus eorumq;peruersis dogmatibus sic celeriter occurratur vt perniciosus morbus neglectus inter initia vires sumere nequeat; sed potius præfocetur in ortu. Sanè ducto ad nostram euidentiam relatione tam verbali, quam literali, plurium sublimium, ac fidelium personarum nec non fama publica notoriante perducto, quod duo viri nequam perditionis filij, & maledictionis alumni, quorum vnus Marsilium de Padua, & alter Ioannem de Ianduno se fa-

Digitized by Google

ciunt nominari, quomodo librum compoſuerant, multa falſa, erronea, & hæreticam continentem &c. Sanè conſiderantes attentè, quod præmiſsi Marſilius, & Ioannes ad redeundum ad ſinum Eccleſiæ ſe non præparant, ſed potius, vt in ſui erroris deuium alios pertrahant, elaborant; nec non & ad memoriam reducentes, quod dudum cum hoſtis humani generis ad impugnandum ſinceritatem fidei, hæreticorum fallaciam ſub induceret fraudulentam, Sancti Patres prędeceſſores noſtri contra ipſos viriliter inſurgentes, eorum praua dogmata cum ſuis auctoribus condemnarunt, ſicut patet in Arrio, & Manichæo, Neſtorio, & Dioſcoro, eiuſque complicibus, & pluribus alijs, quos cum ſuis hæreſibus iuſtiſſima ſententia condemnarunt, ac volente seorumdem patrum veſtigijs inhærere; inſuper attendentes probabiliter formidari, quod contra præmiſſa, mora periculum, & damnum, diſſimulatio forent proculdubio allaturæ, non intendentes eos vlterius expectare, ſed reputantes, & decernentes potius contumaces; ad laudem, & gloriam Sanctæ, & Indiuiduæ Trinitatis conſolationemque fidelium, & fidei Catholicæ firmamentum de fratrum noſtrorum conſilio, Dei nomine inuocato, Articulos prædictos, videlicet, quod illud, quod legitur de Chriſto in Euangelio Beati Matthæi, quod ipſe ſoluit tributum Cæſari, quando ſtaterem ſumptum

ex ore piscis illis, qui petebant didrachmam iussit dari, hoc fecit non condescensiuè, & liberalitate suæ pietatis, sed necessitate coactus; Item quod Beatus Petrus Apostolus non fuit plus caput Ecclesiæ, quam quilibet aliorum Apostolorum, nec habuit plus auctoritatis, quam habuerunt alij Apostoli, & quod Christus nullum caput dimisit Ecclesiæ, nec aliquem fecit Vicarium suum; Rursus, quod ad Imperatorem spectat corrigere Papam, & punire, & instituere, & destituere: Adhuc quod omnes Sacerdotes siue sit Papa, siue sit Archiepiscopus, siue Sacerdos simplex quicumque, sint æqualis auctoritatis, & Iurisdictionis ex institutione Christi, sed quod vnus habet plus alio, hoc est secundum, quod Imperator concessit plus, vel minus, & sicut concessit, ita reuocare potest, vltimo, quod Papa, vel tota Ecclesia simul sumpta nullum hominem quantumcumque sceleratum potest punire punitione coactiua, nisi Imperator daret eis potestatem, & auctoritatem; velut Sacræ Scripturę contrarios, & fidei Catholicæ inimicos, hæreticos, seu hæreticales, & erroneos; nec non prædictos Ioannem, & Marsilium hæreticos, immo hæresiarchas fore manifestos, & notorios sententialiter declaramus, articulosque, ac librum prædictos, nec non & quamcunque aliam scripturam continentem eosdem, prædictos quoque Marsilium, & Ioannem, vt hæreticos mani-

festos, & notorios, immo vt hæresiarchas potius reprobamus, & sententialiter condemnamus. Si quis enim doctrinam prædictam defendere, vel approbare præsumpserit cuiuscumque dignitatis ordinis, conditionis, aut status, tanquam hæreticus confutatur.

Præterea vniuersis, & singulis Christi fidelibus districtius inhibemus, ne prædictos Marsilium, & Ioannem, & de hæresi, vt prçmittitur, condemnatos sententialiter, aut eorum alterum acceptare, defendere, fouere, aut eis quomodolibet adhærere per se, seù alium, vel alios, publicè, vel occultè, directè, vel indirectè; auxiliū, & consilium, vel fauorē dare præsumant; sed eos euitent potius, vt hæreticos manifestos, ipsosq; quos capiendos fidelibus exponimus, zelo persequantur fidei, & capiant, vbicunque ipsos reperire potuerint, ac Ecclesiæ captos assignent, animaduersione debita puniendos &c. Dat. Auig. x. Kal. Nouemb. Pontificat. nostri anno xij.

NOTÆ

Præfatos hæreticos confutat Aluarus Pelagius lib. 1. de planctu Ecclesiæ cap. 8. vbi Marsilium de Padua indigitat hæresiarcham, tum ex alijs capitibus, tum ex hoc, quod asseruerit Christum fuisse subiectum humanæ authoritatij, vt indè idem hæreticus,

cus, probaret à paritate Papam esse subiectum Cæsareæ potestati; errores dicti Marsili, & socii Ioannis de Ianduno confutat Pontifex in Superiore Bulla, confutationem tamen prolixitatis euitandæ gratia omisi, censuram ipsam referre contentus.

BENEDICTI DVODECIMI

Definitio quorumdam articulorum circa Beatorum visionem, animarumque beatitudinem, & damnationem.

BENEDICTVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

BEnedictus Deus in donis suis, & Sanctus in omnibus operibus suis, qui Sacrosanctam Romanam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam, quam vt vineam plantauit dextera sua, quamque vt præcipuam in Ecclesiarum omnium caput erexit, vt victricem, dicente Domino ad Petrum: Tues Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, sua miseratione non deserit, sed per Beatos Apostolos suos, præcipuè Petrum, & Paulum singulares eiusdem Ecclesiæ defensores pia benignitate, & continua pietate custodit: quatenus eisdem re-

ctoribus gubernata in se stabilis maneat, firmata supra firmam petram, omnesque Christianæ fidei Cultores illi obediant, illi pareant, illi intendant sub illius magisterio degant, sub eius disciplina, & correctione consistant. Non in illa dogmatizetur improuidum, inferatur incautum in fide, temerarium ingeratur: sicque declinent homines, à malo, & faciant bonum, ambulent per vias rectas, & ad meliora per sancta desideria proficiscantur, vt sperent propinquas æternæ vitæ retributiones, timeant malorum inferni calamitates non remotas. Nam scriptum est: Ecce venio cito,& merces mea mecum est, reddere vnicuique iuxta opera sua. Quod si secus à quoquam fuerit attentatum, id protinus sua auctoritate, pœnis etiam adiectis, prout expedire viderit, prorsus euellat, Pro qua vt in se ipsa subsistens alios informaret passionis suæ tempore Saluator noster Iesus Christus Patrem exorasse perhibetur dicens: Simon, ecce satanas repetiuit vos, vt cribaret sicut triticũ: Ego autem pro te rogaui, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.

Sanè dudum tempore fel. rec. Ioan. XXII. Prædecessoris nostri, inter nonnullos etiam Theologicæ facultatis Magistros super visione animarum iustorum hominum post mortem suam, in quibus nihil erat purgabile cum de hoc sæculo decesserunt, vel si

fue-

fuerat, iam purgatum fuerat ex toto, an diuinam essentiam videant ante corporum suorum resumptionem, & iudicium generale, & super nonnullis, orta materia, quæstionis, ipsorum aliqui negatiuam, aliqui affirmatiuam, alij verò secundum suas imaginationes, de visione diuinæ essentiæ ab animabus huiusmodi diuersa, & diuersimodè ostendere nitebantur, prout ex dictis, & scriptis ipsorum noscitur apparere. Super reiectis verò suis concertationibus, quas hic causa breuitatis omittimus, quia ita ex nostris determinationibus inter se etiam dissidebant. Cumque idem Prædecessor noster, ad quem prædictorum determinatio pertinebat ad decisionem concertationum huiusmodi se pararet in suo Consistorio publico, tam fratribus suis S.R.E. Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, quàm Prælatis, & Magistris in Theologia, qui multi aderant præsentes, iniungendo districtius, & mandando, vt super materia de visione prædicta, quando requirerentur ab eo, deliberatè vnusquisque diceret, quod sentiret. Tamen morte præuentus, sicut Domino placuit, perficere illud nequiuit.

Defuncto itaque Prædecessore præfato nos diuina dignatione ad apicem Summi Apostolatus assumpti diligentius attendentes quanta ex præmissis eorum concertationibus non solutis, animarum imminent pericula quanta exinde scandala possunt subori-

ori-

oriri, vt ipsorum varietas pereat, & veritatis soliditas innotescat, habita prius super prædictis sollicita examinatione, & diligenti deliberatione cum fratribus nostris dictæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, de ipsorum fratrum Consilio hac in perpetuam valitura constitutione, auctoritate Apostolica diffinimus.

Quod secundum communem Dei ordinationem animæ Sanctorum omnium, qui de hoc mundo ante Domini nostri Iesu Christi passionem decesserunt, nec non Sanctorum Apostolorum, Martyrum, confessorum, virginum, & aliorum fidelium defunctorum, post sacrum ab eis baptisma susceptum, in quibus nihil purgabile fuit, quando decesserunt, nec erit quãdo decedẽt etiam in futurum, vel si tunc fuerit, aut erit aliquid purgabile in eisdem, cum post mortem suam fuerint purgatæ, ac quod animę puerorum eodem Christi baptismate renatorum, & baptizandorum, cum fuerint baptizati, ante vsum liberi arbitrij decedentium mox post mortem suam, & purgationem præfatam in illis, qui purgatione huiusmodi indigebant etiam ante resumptionem suorum corporum, & iudicium generale post Ascensionem Saluatoris Domini Nostri Iesu Christi in Cęlum fuerunt, sunt, & erunt in cœlo cęlorum Regno, & Paradiso cęlesti cum Christo, Sanctorum Angelorum consortio aggregatæ, ac post

Domi-

Domini Nostri Iesu Christi passionem, & mortem viderunt, & vident diuinam essentiam visione intuitiua, & etiam faciali nulla mediante creatura, in ratione obiecti visi se habente, sed Diuina essentia immediatè se nudè clarè, & apertè eis ostendente, quodque sic videntes eadem diuina essentia perfruuntur. Nec non quod ex tali visione, & fruitione eorum animæ qui iam decesserunt, sunt beatæ, & habent vitam, & requiem ęternam, & erunt illorum, qui postea decedent, cum eandem diuinam videbunt essentiam, ipsaque perfruentur ante Iudicium generale. Ac quod visio huiusmodi diuinæ essentiæ, eiusque fruitio actus fidei, & spei in eis euacuant prout fides, & spes propriæ Theologicæ sunt virtutes, quodq; postquam inchoata fuerit vel erit talis intuitiua, ac facialis visio, & fruitio, in eisdem eadem visio, & fruitio sine aliqua intercisione, seù euacuatione prædictæ visionis, & fruitionis continuata extitit, & continuabitur vsque ad finale iudicium, & èx tunc vsque in sempiternum.

Diffinimus insuper quod secundum Dei ordinationem communem, animæ decedentium in actuali peccato mortali, mox post mortem suam ad inferna descendunt, vbi pœnis infernalibus cruciantur, & quod nihilominus in die Iudicij omnes homines ante Tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt reddituri de factis propriis ratio-

tio-

tionem, vt referat vnusquisque propria Corporis prout gessit siue bonum, siuè malum decernentes prædictas nostras definitiones, seù determinationes, & ipsarum singulas ab omnibus fidelibus esse tenendas. Quicumque autem deinceps prædictarum nostrarum diffinitionum, seù determinationum, ac singularum ipsarũ contrariũ scientèr, & pertinaciter tenere, asserere, prædicare docere, aut defendere verbo, vel scripto præsumpserit, contra eum, sicut contra hæreticum modo debito procedatur.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ Constitutionis &c.

Datum Auinione quarto Calendas Februarij, Pontificatus Nostri anno secundo.

Retractatio eorum, quæ Pius Secundus in minoribus existens, scripserat pro Concilio Basileensi contra EVGENIVM IV.
Præcipue in §. 3. & 11.

PIVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Dilectis Filijs Rectori, & Vniuersitati Scholæ Coloniensis salutem, & Apostolicam Benedictionem.

IN minoribus agentes non Sacris Ordinibus initiati cum Basileæ inter eos versare-

ſaremur, qui ſe generale Concilium facere, & vniuerſalem Eccleſiam repræſentare aiebant, dialogorum quemdam libellum ad vos ſcripſimus, in quo de auctoritate, Concilij Generalis, ac de geſtis Baſileenſium, & Eugenij Papæ contradictione ea probauimus, vel damnauimus, quæ probanda, vel damnanda cenſuimus. Quantum capiebamus, tantum defendimus, aut oppugnauimus; nihil mentiti ſumus, nihil ad gratiam, nihil ad odium retulimus. Exiſtimauimus benè agere, & recta incedere via: nec mentis noſtræ aliud erat obiectum, quàm publica vtilitas, & amor veri. Sed quis non errat mortalis? ſapiētem inquiunt philoſophi numquam errare, verum eſt. At qui ſapiens niſi bonus? quis bonus niſi ſolus Deus? omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum inquit Propheta Regius. Declinauimus, & nos ab vtero matris, errauimus in inuio, & non in via, ambulauimus in tenebris, & procul à vera luce receſſimus. Nec nobis tantum errauimus, alios quoque in præcipitium traximus, & cæcis ducatum præbentes cæci cum illis in foueā recidimus. Forſan & aliquos ex vobis ſcripta noſtra decepere, & indeuia deduxerunt, quorum ſanguinem ſi de manibus noſtris requiſierit Dominus, non habemus quod reſpondere poſſimus, niſi nos vt homines peccauiſſe, qui arbitrantes rectum iter oſtē-

dere

dere obliquum monstrauimus. In misericordia tantum Dei spes nostra sita est, quæ super omnia opera eius elucet sed haud quaquam satis fuerit diuinam misericordiam implorare, & dicere Parce Domine parce peccatis nostris, nisi pro viribus vulnera, quæ inflixinus veritate curare annitamur; Et sic est in fabulis sagitta, quæ vulnerauit afferat opem, siuè vt canit Ecclesia Medelam inde ferat hostis, vnde læserat. Mortem quidam prius sibi consciuerint, quàm videri velint aliquando malè sensisse: & nonnulli ne vel ad horam videantur errasse, semper errant & dum minimam tolerare honoris iacturam nequeunt, totum abiiciunt, & perpetua notantur infamia, & in pessimas prolabuntur hæreses; Qui ne appareant inconstantes, pertinaces efficiuntur superbissimi, hoc agunt, qui videri Dij, non homines volunt, quales Constantiæ combusti sunt nostra ætate in magno Conuentu, Hieronymus, & Ioannes Hæresiarchæ.

Nos homines sumus, & vt homines errauimus; Neque imus inficias, multa, quæ diximus scripsimus, egimus, damnari posse; Verum nō vt Arrius; Eutyches, Macedonius, aut Nestorius, & alia blasphemorum turba ex animo damnatam viam elegimus. Seducti peccauimus vt Paulus, & ignoranter persecuti fuimus Ecclesiam Dei, & Romanam, primamque sedem. Propter quod

pro-

proſtrati ante oculos diuinæ pietatis ſupplices oramus: Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias ne memineris &c. Pudet erroris pænitet malè dictorum, ſcriptorumque vehementer pœnitet: plus ſcripto quàm facto nocuimus. Sed quid agamus? ſcriptum, & ſemel emiſſum volat irreuocabile verbum; Non ſunt in poteſtate noſtra ſcripta, quæ in multas inciderunt manus, & vulgo leguntur, vtinam latuiſſent, quæ ſunt adita, nam ſi futuro in ſæculo manſerint, aut in malignas mentes inciderint, aut incautis fortaſſe ſcandalum parient. Qui hæc ſcripſit inquient in Beati tandem Petri Cathedra ſedit, & Chriſti Saluatoris Vicariatum geſſit. Ita ſcripſit Æneas, qui poſtea Summum Pontificem adeptus Pius II. appellatus eſt, nec inuenitur mutaſſe propoſitum. Qui eum elegerunt, & in Summo Apoſtolatus vertice collocarunt, ab ijs ſcripta eius approbata videntur. Verendum eſt ne talia noſtris aliquando ſucceſſoribus obijciantur, & quæ fuerunt Aeneæ dicantur Pij, atque ab ea Sede auctoritatem vendicent, aduerſus quam ignoranter latrauerunt.

Cogimur igitur dilecti filij Beatum Auguſtinum, imitari, qui cum aliqua in ſuis voluminibus erronea inſeruiſſet, retractationes edidit. Humilis, & probatiſſimi vir Ingenij, qui ſuas ineptias verecundè confiteri, ac corrigere, quàm imprudenter defen-

fendere maluit, Idem & nos faciemus: Confitebimur ingenuè ignorantias nostras, nè per ea, quæ scripsimus Iuuenes, error irrepat, qui possit in futurum Apostolicam Sanctam Sedem oppugnare. Nam si quem decuit vnquam Romani, primique Throni eminentiam, & gloriam defendere, ac extollere, nos illi sumus, quos sine vllis meritis pius, & misericors Deus sola dispensatione sua ad Beati Petri solium, & dilectissimi filij sui Domini Nostri Iesu Christi Vicariatum euocauit.

Quibus ex rebus dilectiones vestras hortamur, & in Domino commonemus ne prioribus illis scriptis inhæreatis, aut fidem vllam præstetis, quæ supremam Apostolicę Sedis auctoritatem quouis pacto elidunt, aut aliquid astruunt, quod Sacrosancta Romana non amplectitur Ecclesia. Suadete omnibus, vt illud soliũ præceteris venerentur, in quo Saluator Dominus suos Vicarios collocauit, & quod Beati Apostoli Petrus, & Paulus suo sanguine dicauerunt, nec putetis diuinam prouidentiam, quæ cuncta gubernat, & nihil negligit eorum, quæ creauit, inordinatam reliquisse militãtem Ecclesiam, quæ cum sit sponsa Christi, profecto à Deo est, & ordinem habet dicente Apostolo, quæ sunt à Deo ordinata esse. Requirit autem ordo, vt inferiora à Superioribus gubernentur, & ad vnum tãdem perueniatur tamquam Principem, &

mode-

moderatorem cunctorum, quę infra se sunt. Sicut grues vnam sequuntur, & in apibus vnus est Rex, ita & in Ecclesia militanti, quæ instar triumphantis habet, vnus est omnium moderator, & arbiter Iesu Christi Vicarius, à quo tamquam capite omnis in subiecta membra potestas, & auctoritas deriuatur à ChristoDomino Deo nostro sine medio in ipsum influit. Nec profecto in aliũ tamquam sui exercitus Ducem, supremam auctoritatem Christus principaliter deriuasset, quam in suum Vicarium, primus fuit Petrus, cui commissam nouimus Dominici gregis curam. Nec duo pluresuè Petros Euangelistæ commemorant, nec duos, aut plures instituit Dominus, qui suum locum tamquam capita tenerent æqualia: sed vnum constituit, vt verticem, ac Ducem, & pastorem vniuersi gregis: Simonem Petrum dicens -- Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & tibi dabo claues Regni Cœlorum, quodcumque ligaueris super terram erit legatum, & in Cœlo, & quodcumque solueris super terram erit solutum, & in Cœlo. Et, pasce oues meas, quę nulli alteri seorsum dicta leguntur, nisi Petro, vt in Petro vnitas, & summa contineretur auctoritas. Nec alius à petro dictus est Petrus, nisi Simon, vt intelligeremus vnicum esse veræ, & solidæ petræ, id est Christi, vt Paulus exponit, Locumtenentem Simonem Petrum, qui solus pro Domino in pe-

 ri-

riculo constituto exemit gladium. Petrus igitur, & successores Romani Pontifices primatum in Ecclesia tenuerunt,& Nos hodie quamuis indigni tenemus, & quicunque Romanæ secundum Canonicas Sanctiones præficitur Ecclesię quam primum electus est in Sacro Collegio, supremum à Deo potestatem sine medio consequitur,& per ordinem in omnem diffundit Ecclesiam cuius peccata diuino iudicio punienda relinquuntur. Si quid aduersus hanc doctrinam inueneritis, aut in Dialogis, aut in Epistolis nostris, quæ plures à nobis sunt editæ, aut in alijs opusculis nostris (multa enim scripsimus adhuc iuuenes)respuite atque contemnite. Sequimini quæ nunc dicimus, & seni magis,quam iuueni credite. Nec priuatum hominem pluris facite, quàm Pontificem. Aeneam reijcite. Pium recipite, Illud gentile nomen parentes indidere nascenti, Hoc Christianum in Apostolatu suscepimus.

Postquam obijcienti alicui hanc fortè opinionem cum Pontificatu sibi aduenisse, & cum dignitate mutatam esse sententiam, Respondit non ita esse, sed longè aliter, narrat historiam Concilij Basiliensis, in quo vix vlla fieret mentio de Apostolicæ Sedis auctoritate, vel præcellentia, sed inquit Concilium Concilium cuncta sonabant, quod erat scissuræ, & diuisioni locum præbere: Narrat similiter, quæ tunc scripsit pro Basiliensi Concilio, ex ignorantia scripsisse, idem fatetur §. 5. *& tam ibidem, quam* §. 6.7.8. *&* 9. *explicat quomodo errorem*

rorem suum agnouit ex facto Friderici Imperatoris nolentis venerari Felicem V. Pseudo Pontificem, & vnionem Ecclesiæ procurantes; Ex colloquia Ioannis Carauaialis, Thomæ Aselbacchi, & Thomæ Sarazzani, & mox subiungit §. 10.

His Authoribus inquit vnam Ecclesiam Catholicam, & Apostolicam esse didicimus matrem omnium fidelium, extra quam nō inuenitur salus, Sponsam Christi immaculatam, in qua omnes qui militant finem sibi proponunt vitam æternam. Idcirco enim in Ecclesia militanti laborant homines, & cum dæmonibus tamquā hostibus pugnāt, vt pacem tandem assequantur, & cum Iesu Magistro, legiferoque suo in Cælesti Hierusalem triumphare, ac regnare possint. Hic finis Christiano proponitur, huc omnes Ecclesiæ militantis conatus, omnes leges, omnes regulæ tendunt. Quoniam Ecclesia quidam exercitus est Deo militans, terribilis, vt Castrorum acies ordinata dicitur vni proculdubio Imperatori subiecta, ad cuius nutum cuncta referuntur. Cumque pius, ac maximus, & optimus Deus in suo sanguine fundauerit Ecclesiam, eamque voluerit ad finem vsque sæculi perdurare, quis non dixerit in ea id regimen institutum esse, quod optimum censetur? At verò inter genera gubernationum communis Philosophorū sententia est præstare Monarchiam, & Romani, quorum toto micuit orbe dignitas, qua mnis eiectis Regibus duos annuos Con-

fules elegerunt, & modo Tribunos addidere, modò alios Magistratus inuenere, in aduersis tamen casibus, bellisque grauioribus ad vnum aliquem recurrerunt virtute, & auctoritate præstantem, quem Dictatórem appellauerunt, cuius dicto non liceret aduersari. Et quamquàm dictaturam ab initio temporaneam instituerunt, in Iulio tamen, & successoribus perpetua effecta est. Nec vnquam Romana res admirabilior, aut celsior fuit, quam sub Augusto Cæsare, quando iã clausis Iani portis totus ferè orbis sub vnius hominis gubernatione quieuit. Quo tempore natus mundi Saluator Monarchicum regimen cæteris prætulisse videtur gubernationibus. Idem probat totius ferè orbis consuetudo, cuius maximam partem gubernant Reges siue Christianos intueamur, siue Barbaros. Et quamuis Ciuitates aliquot reperiantur, quæ cum maximè seruiant, liberas sese vocitant sine Rege viuentes non tamen possunt effugere, quin vnum pręferant aliis, eique tamquam capiti pro tempore obediant. Quid plura? Cælestis aula nos admonet; Quid illa pulchrius? Quid ordinatius? Quid maius, aut durabilius? Quid melius, aut beatius? Quamuis in ea, vt Angelorum diuersi sint ordines, & Sanctorum Spirituum innumerabiles Chori, vnus tamen est omnium rex æternus Deus, qui condidit vniuersa, & nihil negligit eorũ, quæ condidit, cuius filius vnigenitus Christus Iesus cũ

pro

Digitized by Google

pro nostra salute venisset in hunc mundum seruili accepta forma, Ecclesiam, de qua loquimur in cruce patiens suo sanguine acquisiuit, & in ea vsque in diem ascensionis corporaliter præsedit, & tamquam Dux verus, & Imperator cuncta in finem suum direxit. Et cum ascendisse in Cœlum, eum indubitanter sui gregis pastorem reliquit, cui dixerat -- Pasce oues meas, & Tibi dabo claues Regni Cœlorum: Neque enim dixit, & non fecit, qui solus est verax. Grex Christi Ecclesia est. Pastor primus ipse fuit Christus, & Pastor bonus, qui posuit animam suam pro ouibus suis. Secundus Pastor extitit ab ipso Domino institutus, atque omni potestate donatus, quæ ad bene regendum commissas oues necessaria dicitur. Alioqui Christus, qui sapientia Patris est, & omninò sapienter egit, Ecclesiæ suæ haud sufficienter prouidisset, quod est nefarium dicere. Et quamuis plures per orbem Ecclesiæ institutæ fuerint, & plures Episcopi, idest plures greges, & ouilia plura, & pastores plures; Omnes tamen sub vno Pastore, & in vno grege, atque ouili continebantur sicut & hodie cõtinentur, quia vnus est Christi thalamus, vna sponsa, vnum ouile, & vnus Pastor, & omnium Episcoporum vnus Episcopus Romanus Pręsul Beati Petri Successor, & Iesu Christi Vicarius. Petrus enim in Antiochia primum sedit, deinde Romam venit. Vnde cum persecutionem fugiens,

vellet abire, à Domino prohibitus est, & hic glorioso martyrio vitam finiuit, Successore Clemente substituto, atque ita in hanc vsque diem seruatum est, vt qui Romæ sederit Antistes ritè institutus per legitimum electionis tramitem tamquam Aaron vocatus à Domino, hunc omnes Christianæ plebes, omnes Populi, omnes Reges, omnes Clerici, omnes Episcopi tamquam Iesu Christi Vicarium, & Beati Petri Successorem vniuersalis Ecclesiæ caput, ac Rectorem, & ducem venerati sint. Inter quos plurimi pro Christi nomine asperrimos perpessi cruciatus, & morte mulctati, coronam martyrij susceperunt, Plurimi Confessores egregij vita, moribus, & doctrina fulgentes, quamuis sine sanguinis effusione, non tamen sine periculis, & labore, ac voluntate parata pro conseruanda Sacri Euangelij auctoritate moriendi ad cælestem gloriã peruenere, vt Gregorij, Damasi, Leones, Innocentij, Bonifacij, Benedicti, & alia nomina, inter quæ tertius claruit Eugenius ex Monasterio Sancti Anastasij ad summum Sacerdotium euocatus, ad quem Diuus Bernardus Monachorum Pater non minus doctrinæ fulgore, quam vitæ Sanctimonia illustris inter multa huiusmodi verba conscripsit -- Indagemus, inquit, adhuc diligentius quid sit, quam geras videlicet personam pro tempore in Ecclesia Dei. Tu es Sacerdos magnus, Summus Pontifex, Tu Princeps Episco-

sco-

ſcoporum, tu hæres Apoſtolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyſes, iudicatu Samuel, poteſtate Petrus, vnctione Chriſtus. Tu es, cui claues traditæ, cui oues creditæ ſunt. Sũt & alij quidem Cœli Ianitores, & gregum Paſtores, ſed tu tanto glorioſius, quanto & differentius vtrumque præ illis nomen hæreditaſti. Habent illi aſſignatos ſibi greges ſinguli ſingulos, tibi vniuerſi crediti vni ſumus, Nec modo ouium, ſed & paſtorum tu vnus omnium Paſtor. Hæc Bernardus ad Eugenium III. ſcribit, cui ſupremam, & omnimodam in Eccleſia poteſtatem concedit, quod ille de tertio teſtatur Eugenio; hoc nos de quarto, & omnibus alijs Romanis Pontificibus profitemur; quia dignitatis eſt auctoritas. Liquet igitur vnum in Eccleſia caput eſſe, vnum Principem, quia pax Populi ex vno rectore dependet, & pluralitas Principum diſcordiam parit. Chriſtus Eccleſiæ ſuæ in vltimo teſtamento pacem reliquit, & pacem multis verbis commendauit. Dedit ergo, & regimen pacis amicum, ideſt, Monarchicum, ſub Beato Petro, & Succeſſoribus eius adminiſtrari cuncta præcipiens, clauibus illi commiſſis, & cura gregis demandata. Hæc nos de Romani Pontificis auctoritate, & poteſtate ſentimus, cui & congregare generalia Concilia, & diſſoluere datum eſt: Qui & ſi filius eſt propter

regenerationem, propter dignitatem tamen pater habetur, & sicuti filiationis causa venerari debet Ecclesiam tamquam matrem, ita & prælationis causa præfertur ei, vt pastor gregi, Princeps Populo, Rector familiæ. Cum his & generalis Concilij auctoritatem, & potestatem complectimur, quemadmodum, & æuo nostro Constantiæ, dum ibi fuit Synodus vniuersalis declaratum definitumque est. Veneramur enim Constantiense Concilium, & cuncta, quæ præcesserunt, à Romanis Pontificibus approbata, inter quæ nullum inuenimus vnquã fuisse ratum, quod stante Romano indubitato Præsule, absque ipsius auctoritate conuenerit, quia non est corpus Ecclesiæ sine capite, & omnis ex capite defluit in membra potestas. Hæc nostra sententia est filij: hæc credimus, & profitemur: hæc iam senes, vt in Apostolatus Apice constituti pro veritate asserimus.

Si quæ vel verbis, vel alijs conscripsimus aliquando, quæ huic doctrinæ repugnent, illa tamquam erronea, & iuuenilis animi parum pensata iudicia reuocamus, atque omninò respuimus.

Datum Romæ apud Sanctũ Petrum sexto Kal. Maij anno millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio,

CA-

CAPVT XXV.

Decreta quædam Leonis Decimi, & Pauli Quarti.


Asserentes animam esse mortalem, & vnicam in cunctis hominibus vti haretici plectendi sunt. Et Catholica veritas circa dogmata Philosophorum fidei aduersantia à Philosophia Professoribus explicanda est.

LEO EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei.

Ad Perpetuam rei memoriam.

Sacro approbante Concilio.



Postolici Regiminis sollicitudo assiduè pulsat, vt medendis animarum languoribus, quarũ nos ex alto omnipotens auctor, curam habere voluit, iis potissimum, qui instantius fideles nunc vrgere cernuntur, salutifero olei, & vini medicamine, ad instar Samaritani in Euangelio sollicitam operam impendamus ne nobis il-

lud

lud Hieremiæ obiiciatur. Nunquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi.

Cum itaque diebus nostris, quod dolentèr ferimus, zizaniæ seminator, antiquus humani generis hostis non nullos perniciosissimos errores à fidelibus semper explosos in agro Domini superseminare, & augere sit ausus de natura præsertim animæ rationalis, quod videlicet mortalis sit, aut vnica in cũctis hominibus, & nonnulli temerè Philosophantes secundum saltem Philosophiam, verum id esse asseuerent, contra huiusmodi pestem opportuna remedia adhibere cupientes.

Hoc Sacro approbante Concilio damnamus, & reprobamus omnes asserenres animam intellectiuam mortalem esse, aut vnicam in cunctis hominibus, & hæc in dubium vertentes, cum illa non solum verè per se, & essentialiter humani corporis forma existat sicut in Canone fel.rec. Clementis Papæ V. prædecessoris nostri in generali Viennen. Concilio edito continetur, verum, & immortalis, & pro corporum, quibus infunditur, multitudine singulariter multiplicabilis, & multiplicata, & multiplicanda sit. Quod manifestè constat ex Euangelio cum Dominus ait, animam autem occidere non psũt, & alibi: qui odit animam suam in hoc mundo in vitam æternam custodit eam. Et cùm æterna præmia, & æterna supplicia pro merito vitæ iudicandis repromittit, alias incarna-

natio, & alia Christi mysteria nobis minimè profuissent, nec resurrectio expectanda foret, ac Sancti, & Iusti miserabiliores essent iuxta Apostolum cunctis hominibus. Cumque verum verò nomine contradicat omnem assertionem veritati illuminatæ fidei contrariam omninò falsam esse definimus, & vt aliter dogmatizare non liceat, districtius inhibemus: omnesq; huiusmodi erroris assertionibus inhærētes veluti damnatissimas hęreses seminantes per omnia, vt detestabiles, & abominabiles hæreticos, & infideles, Catholicam fidem labefactantes, vitandos, & puniendos fore decernimus.

Insuper omnibus, & singulis Philosophis in vniuersitatibus studiorum generalium, & alibi publicè legentibus districtè præcipiendo mandamus, vt cum Philosophorū principia, aut conclusiones, in quibus à recta fide deuiare noscuntur, auditoribus suis legerint, seu explanauerint quale hoc est de animæ mortalitate, aut vnitate, & mundi æternitate, ac alia huiusmodi, teneantur eisdem veritatem Religionis Christianæ omni conatu manifestam facere, & persuadēdo pro posse docere, ac omni studio huiusmodi Philosophorum argumenta, cum omnia solubilia existant, pro viribus excludere, atque resoluere.

Et cum non sufficiat aliquando tribulorum radices præscindere nisi; & ne iterum pullulent, funditus euellere, ac eorum semina,

na, originalesque Causas, vnde facilius oritur, remouere, cum præcipuè humanæ philosophiæ studia diuturniora, quam Deus secundum verbum Apostoli euacuauit, & stultam fecit absque diuinę Sapientiæ condimēto, & quæ sine reuelatæ veritatis lumine in errorem quandoque magis inducunt, quam in veritatis elucidationem, ad tollendam omnem in præmissis errandi occasionem hac salutari constitutione ordinamus, & statuimus, nè quisquam de cætero in Sacris ordinibus constitutus sæcularis, vel regularis, aut alias ad illos à Iure arctatus in studijs generalibus, vel alibi publicè audiendo philosophiæ, aut poesis studijs vltra quinquennium post grammaticam, & dialecticam sine aliquo studio Theologiæ, aut Iuris Pontificij incumbat. Verum dicto exacto quinquennio, si illis studijs insudare voluerit liberum sit ei, dum tamen simul, aut seorsum, aut Theologię, aut Sacris Canonibus operam nauauit; vt in his Sanctis, & vtilibus professionibus Sacerdotes Domini inueniāt, vndè infectas Philosophiæ, & poesis radices purgare, & sanare valeant.

Et hos canones per Ordinarios locorum, vbi generalia studia vigent, & Rectoris vniuersitatis eorumdem studiorum singulis annis in principio studij in virtute sanctæ obediētiæ publicari mandamus: Nulli ergo &c.

Datum Romæ in publica Sessione in Lateranen. Sacrosancta Basilica solemnitèr celc-

lebrata Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo tertio decimo 14. Kalendas Ianuarij Pontificatus nostri anno primo.

Montes Pietatis Christiana Charitate instituti pecunias licitè mutuant, aliquo pro impensis, & indemnitate, & quidem moderatè recepto.

LEO EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei,

Ad perpetuam rei memoriam.

Sacro approbante Concilio.

INter multiplices nostræ sollicitudinis curas, illam in primis suscipere pro nostro pastorali officio debemus, vt quæ salubria, & laudabilia, ac Catholicæ fidei consona, & bonis moribus conformia nostro tempore non solum enucleentur, verum etiam ad posteros propagentur, & quæ materiam scãdali præbere possent, penitus succindantur, & radicitùs extirpentur, nèc pullulare vsquam sinantur ea in agro Dominico, & vinea Domini Sabbaoth duntaxat censeri permittendo, quibus fidelium mentes pasci spi-

spiritualiter possint, eradicatis zizanijs, & oleastri sterilitate succisa.

Sane cum olim inter nonnullos filios Sac. Theologiæ Magistros, ac iuris vtriusq; Doctores controuersiam quandam non sine populorum scandalo, & murmuratione exortam, & nuper his diebus innouatam esse compererimus, circa pauperum releuationem in mutuis eis publica auctoritate faciendis, qui Montes Pietatis vulgo appellantur, quique in multis Italiæ Ciuitatibus ad subueniendum per huiusmodi mutuum pauperum inopiæ; ne vsurarum voragine deglutiantur à Ciuitatum Magistratibus, ac aliis Christi fidelibus sunt instituti, atque à Sanctis viris diuini verbi præconibus, & laudati, persuasi, ac à nonnullis, etiam Summis Pontificibus Prædecessoribus nostris probati, & confirmati sint ne præfati Montes à Christiano dogmate dissonantes, vel non; vtraque parte diuersimodè sentiente, atque prædicante. Nonnullis enim Magistris, & Doctoribus dicentibus eos montes non esse licitos, in quibus aliquid vltra sortem pro libra, decurso certo tempore, per Ministros huius Montis ab ipsis pauperibus, quibus mutuum datur, exigitur, & propterea ab vsurarum crimine iniustiatiuè, seù ab aliqua certi specie mali mundos non euadere, cum Dominus noster, Luca Euangelista attestante, aperto nos præcepto obstrinxerit ne ex dato mutuo quicquam vltra sortem sperare

de-

debeamus. Ea enim propria est vsurarum interpretatio, quando videlicet ex vsu rei, quæ non germinat nullo labore, nullo sumptu, nullouè periculo lucrum fœnusue conquiri studetur. Addebant etiam ijdem Magistri, & Doctores in iis montibus neq; commutatiuæ, neque distributiuæ Iustitiæ fieri satis, cùm tamèn Iustitiæ terminos contractus huiusmodi excedere non debeant, si debeant approbari. Idque prætereà probare nitebantur, quia impensæ pro huiusmodi montium conseruatione à pluribus, vt aiũt, debitæ, à solis pauperibus, quibus mutuum datur, extorqueantur, pluraque interdum vltra necessarias, & moderatas impensas non absque specie mali, ac incentiuo delinquẽdi quibusdam aliis personis, vt inferre videntur, exhibeantur.

Alijs verò pluribus Magistris, & Doctoribus contra asserentibus, & in multis Italiæ Gymnasijs verbo, & scripto conclamantibus pro tanto bono, tamquam Reipublicæ necessario, modo ratione mutui nil petatur, neque speretur, pro indemnitate tamen eorundem Montium, impensarum, videlicet Ministrorum eorumdem Montium ad illorum necessariam conseruationem pertinentium absque Montium huiusmodi lucro, idque moderatum, & necessarium ab ijs, qui ex huiusmodi mutuo commodum suscipiunt, licitè vltra sortem exigi, & capi posfit, non nihil latere. Cum regula Iuris habeat,

beat, quod qui commodum sentit, onus quoque sentire debeat, præsertim si Apostolica accedat auctoritas.

Quam quidem sententiam à fel. recordat. Paulo Secundo, Sixto Quarto; Innocentio Octauo, Alexandro Sexto, & Iulio Secundo Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris probatam, à Sanctis quoque à Deo deuotis, & in magna ob Sanctitatis opinionem, existimatione habitis, Euangelicæ veritatis prædicatoribus prædicatam esse ostẽdunt.

Nos super hoc, (prout nobis ex alto concessum) opportunè prouidere volentes, alterius quidem partis iustitiæ zelum, nè vorago aperiretur vsurarum, alterius pietatis, & veritatis amorem, vt pauperibus subueniretur, vtriusque verò partis studium commendantes, cum hæc ad pacem, & tranquillitatem totius Reipublicæ Christianæ spectare videantur, Sacro approbante Concilio declaramus, & definimus, Montes Pietatis antedictos per Respublicas institutos, & auctoritate Sedis Apostolicæ hactenus probatos, & confirmatos, in quibus pro eorum impensis, & indemnitate, aliquid moderatum ad solas Ministrorum impensas, & aliarum rerum ad illorum conseruationem, vt præfertur, pertinentium, pro eorum indemnitate dumtaxat vltra sortem, absque lucro eorumdem Montium recipitur, neque speciem mali præferre, nec peccandi incentiuũ

præ-

Digitized by Google

præstare, neque vllo pacto improbari, quinimò meritorium esse,ac laudari, & probari debere tale mutuum, & minimè vsurarium putari, licereque illorum pietatem,& misericordiam populis prædicare, etiam cum indulgentijs à Sancta Sede Apostolica eam ob causam concessis. Ac deinceps etiã alios similes Montes cum Apostolicæ Sedis approbatione erigi posse: Multo tamen perfectius, multoque sanctius fore si omninò tales Montes gratuiti constituerentur, hoc est si illos erigentes aliquos census assignarent, quibus si non omni, saltem vel media ex parte huiusmodi Montium Ministrorum soluantur impensæ, vt ad leuiorem æris soluendi portionem, medio hoc, pauperes grauari contingat, ad quos cum huiusmodi cẽsus assignatione pro impensarum supportatione erigendos, Christi fideles maioribus indulgentiis in vitando esse decernimus.

Omnes autem Religiosos, & Ecclesiasticas, ac sæculares personas, qui contra præsentis declarationis, & Sanctionis formam de cætero predicare, seu disputare verbo, vel scriptis ausi fuerint, excommunicationis latæ sententiæ pœnam priuilegio quocumque non obstante incurrere volumus.

Non obstantibus premissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contraijs quibuscumque.

Nulli ergo omnino, hominum &c. si quis autem &c. Data Romæ in publica Sessione,

in Lateranen. Sacrosancta Basilica solemniter celebrata Anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo decimo quinto quarto nonas Maij Pontificatus nostri anno tertio.

Quod audiētes Missam in Ecclesijs Fratrum Mendicantium in Dominicis, & festis diebus satisfaciunt præcepto Ecclesiæ de audienda Missa.

LEO PAPA DECIMVS

Vniuersis, & singulis præsentes litteras inspecturis salutem, & Apostolicam Benedictionem.

INtelleximus quosdam in dubium reuocare, & perinde timoratis conscientijs scrupulum inijcere, si Christi fideles, qui Dominicis, & festis diebus extra Ecclesias suas parochiales missas audiunt in Ecclesijs Fratrum Ordinum Mendicantium, Ecclesiæ præcepto de Missa audienda satisfaciant.


Nos enim ambiguitatem huiusmodi penitus tollere volentes, & cum sinceriori cōscientia fideles quique Deo creatori suo seruiant, auctoritate Apostolica, tenore præsentium notum facimus omnes Christi fideles vtriusque sexus (qui non contempto Sacerdote parochiali) in Ecclesijs Fratrum Or-

Ordinum Mendicantium Dominicis, & festis diebus missas audiunt, satisfacere præcepto Ecclesiæ de Missa audienda, nec in aliquam labem mortalis peccati in pœnamuè incurrere.

In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Et quia difficile foret præsentes litteras nostras originaliter ad loca omnia (vbi opus furit (deferri, volumus, & decernimus, vt earum transumptis, manu Notarij publici scriptis, & sigillo alicuius Prelati in dignitate Ecclesiastica constituti munitis, eadē fides (vbi opus fuerit) detur, quæ originalibus ipsis daretur, si exhibitę forent, vel ostensę.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die decima tertia Nouembris millesimo quingentesimo decimo septimo Pontificatus nostri anno quinto.



Negantes Trinitatem, aut Diuinitatem Iesu Christi, aut eius Conceptionem de Spiritu Sancto, aut eius mortem, vt nos redimeret, aut virginitatem B. Mariæ Virginis, hæretici declarantur.

PAVLVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

CVm quorumdam hominum prauitas, atque iniquitas eo vsque nostris temporibus processerit, vt ex iis, qui à Catholica fide aberrant, & desciscunt plurimi quidem non solum diuersas hæreses profiteri, sed etiam ipsius fidei fundamenta negare præsumant, & eorum exemplo multos in interitum animæ deducant. Nos cupientes pro nostro pastorali officio, & charitate huiusmodi homines quantum cum Deo possumus à tàm graui, & pestilenti errore auocare, & cæteros, ne in talem impietatem labantur paterna seueritate admonere omnes, & singulos, qui hactenus asseruerunt, dogmatizarunt, vel crediderunt Deum omnipotentem non esse Trinum in personis, & incomposita omnino, indiuisaque vnitate substantiæ, & vnum vnamet simplici diuinita-

nitatis essentia, aut Dominum nostrum Iesum Christum verum Deum eiusdem substantiæ per omnia cum Patre, & Spiritu Sancto, aut eundem secundum carnem non esse conceptum in vtero Beatissimæ, semperque Virginis Mariæ de Spiritu Sancto, sed sicut cæteros homines ex semine Ioseph, aut eundem Dominum, ac Deum nostrum Iesum Christum non subijsse acerbissimam Crucis mortem, vt nos à peccatis, & ab æterna morte redimeret, & Patri ad vitam æternam reconciliaret, aut eandem Beatissimam Virginem non esse veram Dei matrem, nec perstitisse semper in virginitate ante partum scilicet, in partu, & perpetuò post partum, ex parte omnipotentis Dei Patris, & filij, & Spiritus Sancti Apostolica auctoritate requirimus, & monemus quatenus infra spatium trium mensium à publicatione præsentium in Romana Curia, quoad residentes in ea modo infrascripto, extra eam verò quoad alios in illa non residentes modo, & forma per Diocesanos statuendis facienda incipiendorum, quos pro primo, secundo, & tertio, ac peremptorio termino, ac monitione canonica eis, & eorum cuilibet assignamus, ab eorum assertione, dogmatibus, & credulitate huiusmodi, ac quibuscũque alijs in fide prædicta erroribus, in quos hactenus lapsi sunt, resipuisse, & ad vnitatem Ecclesiæ redeundo, assertionem dogmata, & credulitatem, ac alios errores huiusmodi in

manibus Inquisitorum hæreticæ prauitatis Ciuitatum, & locorum, in quibus ad præsens degunt realiter, & cum effectu abiurasse, & infra alios tres menses à die abiurationis huiusmodi inchoandos, de eadem abiuratione Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus dictæ hæreticæ prauitatis Inquisitoribus generalibus plenam fidem fecisse debeant.

Nos enim eiusdem Dei omnipotentis exéplo, qui non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat, omnes, & singulos, qui vt præfertur, ab assertione dogmatibus, & credulitate, ac alijs erroribus prædictis resipuerint, & ad vnitatem Ecclesiæ redeundo, assertionem, dogmata, & credulitatem, ac alios errores huiusmodi sponte abiurauerint, & de eadem abiuratione præfatis Inquisitoribus generalibus fidē fecerint, ac pœnitentiam priuatam per dictos particulares Inquisitores eis iniunctam cum effectu expleuerint à prædictis, & quibusuis alijs quantumuis grauibus, & enormibus hæresibus, & à fide Christi apostasijs, ac in eadem fide erroribus nec non excommunicationis suspensionis, & interdicti, alijsque sententiis, censuris, & pœnis tam Ecclesiasticis, quàm temporalibus, etiam bonorum priuatiuis, & capitalibus in tales à iure, vel ab homine latis, & promulgatis, per eos præmissorum occasione incursis, dummodo delati, aut inquisiti, seu relapsi

non

non sint, dicta auctoritate tenore præsentium in vtroque foro absoluimus, & liberamus, ac cum iis super irregularitate, quam propterea contraxerint, etiamsi sic ligati Missas, & alia diuina officia etiam forsan in contemptum clauium celebrauerint, aut illis aliàs se immiscuerint, quodque ea ipsa irregularitate, & cæteris præmissis non obstantibus, qui promoti non fuerint ad omnes etiam Sacros, & Presbyteratus ordines promoueri, & in illis tàm ipsi, quam qui iam etiam post incursam hæresim promoti fuerint in Altaris ministerio ministrare; Nec non tam Clerici, quàm laici, & vtriusque sexus personæ; eorumque filij, nepotes, descendétes ad gradus, honores, ordines, & officia, ac alia quæcumque assumi, illaque suscipere, & exercere liberè, & licitè valeant, auctoritate, & tenore prædictis de specialis dono gratiæ dispensamus, eisque pariter indulgemus, nec non omnem inhabilitatis, & infamiæ maculam siue notam circa eos præmissorum occasione quomodolibet insurgentem ab eis penitùs, omninò obolemus.

Et insuper cum errores, quos supra narrauimus, ita graues, nefandi sint, vt illi, qui in eos inciderunt, excusationem nō habeant, sed subuersi potius, atque immanes, quàm hęretici meritò dici possint, hac nostra perpetuò valitura Constitutione Sancimus, quod illi, qui hactenùs in ipsos errores, vel

eorum aliquem lapsi sunt, & infra supradictum terminum non resipuerint, & ea, quæ supra diximus non adimpleuerint, quàm omnes, & singuli alij, qui in futurum in illos, vel illorum aliquem quomodolibet prolabentur, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis existant pro subuersis, & relapsis in hæresim haberi, & vt relapsi Curiæ sęculari tradi, & per ipsam Curiam debitis pœnis in relapsos statutis puniri possint in omnibus, & per omnia perindè ac si verè, & realitèr in hęresim relapsi essent, & eos relapsos esse constaret;

Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis; cæterisque contrarijs quibuscumque. Vt autem præmissa omnia ad eorum, quorum interest, notitiam deducantur, nullusque de illis ignorantiam prætendere, ac se legitimè excusare possit.

Volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod præsentes litteræ, seu earum transumptum, manu Notarij publici subscriptum, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutę munitum fuerit, eam prorsus fidem in Iudicio, & extra adhiberi statuimus, quæ ipsis litteris adhiberetur, si originalitèr exhiberentur, in eadem Curia per aliquos Cursores nostros in Basilicæ Principis Apostolorum, & Ecclesię Lateranen. de Vrbe, ac Cancellariæ Apostolicę valuis; & in acie Campi Floræ, vt moris

est; Extra Curiã verò prędictã modo, & forma per Venerabiles Fratres nostros Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, ac alios Ecclesiarum Pręlatos, quibus in virtute Sanctę Obedientiæ per easdem pręsentes mandamus, vt litteras siue transumptum huiusmodi vbique per eorum Prouincias, Diœceses, & Ecclesias sincera charitate publicent, & publicari faciant, statuendis, publicentur earum exemplo in singulis locis, in quibus publicatio ipsa fiet, affixo, & dimisso.

Nulli ergo omninò hominum liceat hãc paginam nostrę requisitionis, monitionis, assignationis, absolutionis, liberationis, dispensationis, indulti, abolitionis, sanctionis, voluntatis, decreti, statuti, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contrauenire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romę apud S. Marcum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto 7. Idus Aug. Ponificatus nostri anno primo.



CA-

CAPVT XXVI.

Varia Decreta Beati Pij Quinti.

Reuocatio Constitutionis Pij V. & innouatio alterius Constitutionis Gregorij XI. & Clementis VI. super exprimendis gradibus propinquioribus, in dispensationibus matrimonialibus impetrandis in diuersis gradibus.

De materia dispensationum vide etiam infra in Const. 62. ad Romanum.



SANCTISSIMVS in Christo Pater, & Dominus Noster Dominus Pius diuina prouidentia Papa V. Attendens per quandam constitutionem dudum per fel. rec. Piũ Papam IV. Sanctitatis suæ prædecessorem editam, qua cauetur, quod in dispensationibus matrimonialibus, pro diuersis, consanguinitatis, seu affinitatis ex eodem stipite prouenientibus gradibus coniunctis non remotioris solum, prout olim fieri solebat; sed etiam propinquioris graduum expressa mentio fieri debeat; alioquin dispensationes, ac desuper confectæ litte-

litteræ nullius sint roboris vel momenti, prout in dicta constitutione plenius continetur, à dispositione Iuris cõmunis, & laudabili, ac antiquo Rom. Cur. stylo nimiũ recedi, ac fauorem matrimonij debitum restringi.

§. 1. Volensque propterea iuri, & stylo prædictis, necnon piæ mem. Gregorij XI. & Clementis VI. Rom. Pont. etiam Sanctitatis suæ prædecessorum vestigijs inhærendo Sacramento, & libertati matrimonij, quantum cum Deo potest fauere, statuit & ordinauit quod de cętero in quibuscumque dispensationibus quas pro matrimonijs contractis, aut contrahendis inter viros, & mulieres, inuicem diuersis prohibitis consanguinitatis,& affinitatis,aut mixtis, ex cõmuni, seù eodem stipite surgentibus, quicumque illi sint, dũmodo primum quoquomodo non attingant gradũ,cum in eo Sãctitas sua nunquã dispẽsare intendat, gradibus coniunctos, ab eadem Sanctitate sua, & pro tempore existente Romano Põtifices, aut Sede Appostolica impetrari, vel alias concedi contigerit, ac litteris comissionibusque desuper etiam locorum ordinarijs faciendis gradus remotior attendatur trahatque secum propinquiorem, ac ob id sufficiat remotiorem tantum gradum exprimere, obtentis tamen postea super propinquiore litteris declaratorijs iuxta Gregorij& Clementis prædecessoris huiusmo-

di

di constitutiones, quas quo ad hoc innouauit, & inuiolabiliter obseruari mandauit dispensationesque, seu dispensandi commissiones, ac desuper confectas litteras, & processus, habitos per easdē dispensatis, seu his cum quibus dispensari mandatur, propter proximioris gradus huiusmodi non expressionem, de subreptionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis defectu Notari non posse, sed in omnibus, & per omnia suffragari, perinde, ac si in litteris, seu commissionibus huiusmodi de proximiore, seu vtroque gradu, specialis, & expressa mentio facta fuisset.

§. 2. Sicque per quoscunque Iudices, & comissarios, etiam S. R. E. Cardinales sublata eis quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, & diffiniri debere, ac quidquid secus super his a quocunque quauis authoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit irritum, & innane decreuit.

Constitutione Pij prædecessoris huiusmodi cęterisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

Placet, publicetur, & describatur M.

Lecta, & publicata fuit supradicta Regula Romæ in Cancellaria Apostolica, Anno Incarnationis Dominicæ 1566. die vero Martis 20. Mensis Augusti; Pontific. præfati Sanctiss. D. N. Papæ Anno 1.

A. Lomellinus Custos.

Decla-

Declarationes Concilij Tridentinij sess. 24. cap. 2. & 4. circa impedimenta cognationis spiritualis, & affinitatis ex fornicatione, quo ad matrimonia post confirmationem Concilij contracta, & de cætero contrahenda.

Huius concilij confirmatio habetur in constit. 73. Pij IV. Benedictus fol. 104 vbi dixi de eius indictione prosecutione, & quo tempore illud legere cœperit.

Sanctissimus in Christo Pater, & Dominus N. D. Pius diuina prouidentia Papa ad cuius notitiam peruenit, quod cum in Decretis Sacri Concilij Tridentini certæ tantum personæ enumerentur, inter quas duntaxat cognatio spiritualis deinceps contrahatur, ab aliquibus reuocatur in dubium, an qui vltra personas in dictis decretis enumeratas quoquomodo cognatione spirituali ante dicti Concilij confirmationem, coniuncti erant absque dispensatione Appostolica matrimonium post dictam confirmationem contrahere potuerint ac hodie, & de cetero contrahere possint, cum ante prædictam confirmationem id facere de iure minime liceret.

§. 1. Et insuper cum in eisdem decretis statuatur affinitatem, quæ ex fornicatione contrahitur, in illis solumodo attendi de-

bere

bere qui primo, vel secundo affinitatis gradu coniunguntur, ab aliquibus pariter dubitetur, etiam matrimonia inter personas, quæ ante confirmationem dicti Concilij tertio, vel vlteriori huiusmodi affinitatis gradu coniunctæ erant, post confirmationem dicti Concilii absque dispensatione Apostolica contracta, & quod deinceps contrahi contigerit, dirimi debeant.

§. 2. Sanctitas sua ad tollendum omne dubium, eos qui ante confirmationem prędicti Concilij cognationem spiritualem contraxerunt, dumodo non sint ex personis in dictis Decretis enumeratis, & inter quas tantum Concilium voluit deinceps contrahi, hanc cognationem spiritualem matrimonij vinculo inter se absque dispensatione aliqua, libere, & licitę copulari posse, ac matrimonia etiam post confirmationem huiusmodi, absque dispensatione Sedis Apostolicæ inter eas iam contracta valere, plenamque roboris firmitatem obtinere.

§. 3. Et similiter matrimonia post confirmationem Concilij absque dispensatione Apostolica sequuta, & quæ de cętero sequentur; inter personas quæ ante dictam confirmationem, affinitatem (infra tamen secundum gradum ex fornicatione prouenientem) contraxerant, propter huiusmodi affinitatem dirimi non debere, sed valida, & efficacia existere declarauit.

§.4. Sicq;

§. 4. Sicque per quoscumque iudices, & commissarios, etiam S.R.E. Cardinales, sublata eis quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, & diffiniri debere, ac quidquid secus super his à quoquã quauis authoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit irritum, & inane decreuit.

Placet publicetur, & describatur M.

Lecta, & publicata fuit suprascripta regula Romæ in Cancellaria Apostolica Anno Incarnationis Dominicæ 1566. die vero Martis 20. mensis Augusti, Pontificatus præfati Sanctiss. D.N. Papæ Anno primo.

A. Lomelinus Custos.

Sequitur alia declaratio circa impedimenta cognationis spiritualis.

PIVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

CVm illius vicem licet minime suffragantibus meritis, geramus in terris, de cuius vultu prodit iudicium, & vident oculi

culi æquitatem, officij nostri debitam prosequimur actionem, sic obscuros Sacrorum Canonum sensus, ita aperire studemus, vt pijs Christi fidelium mentibus nulla dubitandi occasio relinquatur.

§. 1. Sane licet ex eo quod in Concilio Tridentino decretum fuerit cognationem spiritualem inter eos tantum contrahi, qui suscipiunt baptizatum de baptismo, ac baptizatum ipsum, & illius patrem, & matrem, necnon baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, & matrem, in reliquis personis, quæ per antiquos canones occasione huiusmodi cognationis contrahere prohibeantur, omne impedimentum sublatum esse videatur, adhuc tamen ab aliquibus dubitari accepimus, an saltem impedimentum cognationis spiritualis huiusmodi inter maritum vel vxorem suscipientis, & patrem ac matrem baptizati vigeat, propterea quod prohibitam de vno coniuge, de altera etiam prohibitum esse videatur.

§. 2. Nos piarum mentium quieti, & matrimoniorum fauori (quantum nobis ex alto permittitur) consulere volentes, à præmissis verbis Concilij minime discedendum esse in præmissis censuimus. Et propterea nullum amplius impedimentum ratione cognationis huiusmodi subesse decernimus, & declaramus, quominus inter dictos maritum vel vxorem suscipientis, & baptizatum, baptizatique patrem, & ma-

trem, & quascunque alias personas tam ex parte suscipientis quam baptizantis, & baptizati, in dicto Concilio nominatim non expressas, matrimonium libere, & licite cōtrahi possit,& ita ab omnibus iudicari debere mandamus atque statuimus.

§. 3. Decernentes irritum, & inane si quid secus a quoquam quacunque dignitate, authoritate, & potestate prædito contigerit iudicari.

§.4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis,alijsque contrarijs quibuscumque.

§. 5. Volumus autem quod præsentes litteræ in Cancellaria Apostolica nostra, & in acie Campi Floræ de more publicentur, & inter constitutiones perpetuo valituras describantur. Et quia difficile foret præsentes ad singula quæque loca deferri, quod earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarii subscriptis, ac sigillo alicuius prælati munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur. Si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo sexagesimo sexto. 4. Kal. Decemb. Pont. Anno primo.

Visas de Curia Io: Barengus.

Anno à Natiuit. Domini 1566. Indict. 9. die vero nona mensis Decembris Pontificatus S. D. N. Pij diuina prouidentia Papæ V. Anno eius primo retroscriptæ litteræ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, vt moris est, per nos Antonium Clerici, & Ioannem Andream Rogerium præfati Sanctiss. D. N. Papæ Cursores.

Stephanus de Olea Mag. Curs.

Sequitur alia declaratio, circa impedimentum affinitatis, & fornicationis.

PIVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD Romanum Pontificem spectat canonicas sanctiones, quæ expressiorem sensum postulare videntur, re diligenter perspecta, ita declarare, & alias prouidere, vt omnis dubietas de piis Christi fidelium mentibus euellatur.

§. 1. Sane postquam ex eo quod Tridentina Synodus impedimentum affinitatis ex fornicatione proueniens, per quod non solum matrimonium contrahi prohibetur, sed etiam postea factum dirimitur, ad eos tan-

tum

tum restrinxit, qui primo, & secundo gradu coniunguntur, in vlterioribus vero gradibus statuit matrimonium postea factum non dirimi, à pluribus Christi fidelibus, accepimus, dubitatum, an licet vlterioribus gradibus huiusmodi matrimonium contractum non dirimatur, adhuc tamen iuxta antiquos canones contrahi prohibeatur.

§. 2. Et propterea nos omnem ambiguitatem tollere, & animarum tranquillitati, ac matrimonij libertati quantum cum deo possumus consulere volentes, declaramus, & Apostolica auctoritate decernimus, nullum hodie impedimentum remanere quo minus in vlterioribus gradibus huiusmodi liberè, & licitè matrimonium contrahi possit.

§. 4. Et ita ab omnibus iudicari debere mandamus, atque statuimus, decernentes irritum, & inane si quid secus à quoquam quacunque dignitate, auctoritate, & potestate prædito contigerit iudicari, non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, alijsque contrarijs quibuscunque.

§. 4. Volumus autem quod præsentes litteræ in Cancellaria nostra Apostolica, & in acie Campi Floræ de more publicentur, & inter constitutiones perpetuo valituras describantur, & quia difficile foret eas ad singula quæque loca deferri quod earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius

Notarij ſubſcriptis, ac ſigillo alicuius præ-lati munitis, eadem prorſus fides adhibeatur quæ præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ, Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1566. Kal. Decemb. Pont. Noſtri Anno 1.

Declaratio Concilij Tridentini ſeſsione 24. cap. 3. ſuper impedimento honeſtatis, circa ſponſalia, vel matrimonia.

Ad materiam diſpenſationum matrimonialium, circa exprimenda in ſupplicationibus, vide in Bullario conſtit. 13. Sanctiſſimus, fol. 133. & conſtit. 21. cum ſicut fol. 199.

PIVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD Romanum ſpectat Pontificem ſua ſolicitudine diligenter prouidere, vt Sacrorum Conciliorum decreta ita ſuæ declarationis adminiculo dilucidentur, quod nulla deſuper dubitandi occaſio cuiquam relinquatur.

§. 1. Sa-

§. 1. Sane ad aures nostras peruenit, multos esse, qui dubitent, an decretum œcumenici Conc. Trid. sessione 24. de reformatione matrimonij. cap. 3. quo cauetur, impedimentum publicæ honestatis, vbi sponsalia valida non fuerint, prorsus tolli, vbi vero valida fuerint, non excedere primum gradum, cum in vlterioribus gradibus non possit huiusmodi prohibitio seruari, de sponsalibus per verba (vt aiunt) de futuro tantum conceptis intelligatur; vel etiam matrimonia per verba de præsenti contracta, non tamen consummata, quæ interdum sponsalia appellantur, comprehendat, ita vt etiam eo casu impedimentum inde prouenięns sublatum fuerit.

§. 2. Nos itaque vt omnis difficultas, dubitatioque tollatur, attendentes quod sponsaliorum appellatione, qua dictum Concilium vtitur, non nisi impropriè matrimonium verbis de præsenti conceptis contractum continetur, quodque agitur de correctione iuris veteris, quo casu secundum proprietatem verborum dumtaxat procedendum est præsertim cum longe maiorem rationem prohibitionis in matrimonio per verba de præsenti contracto, quam in sponsalibus de futuro vigere à nemine dubitetur. Idcirco motu proprio auctoritate Apostolica tenore præsentium, declaramus, & diffinimus, Decretum Concilij huiusmodi omnino intelligendum esse, & procedere

in sponsalibus de futuro duntaxat, non autē in matrimonio sic, vt præfertur, contracto, sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus, & gradibus, quibus de iure veteri ante prædictum Decretum Concilij introductum erat. Et ita ab omnibus iudicari debere, mandamus atque statuimus.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, aliisque contrarijs quibuscumque.

§. 4. Volumus autem quod præsentes litteræ in Cancellaria nostra, & acie Campi Floræ de more publicentur, & inter constitutiones perpetuo valituras describantur. Et quia difficile foret præsentes ad singula quæque loca deferri, volumus, & etiam declaramus quod earum transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarij subscriptis, ac sigillo alicuius prælati munitis, eadem prorsus fides vbicunque adhibeatur, acsi forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo octauo, Kalen. Iulij Pontificatus Nostri Anno 3.

Cam-

Digitized by Google

Cambiorum illicitorum declaratio, & prohibitio.

PIVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei.

Ad Perpetuam rei memoriam.

IN eam pro nostro pastorali officio, curam diligentèr incumbimus, vt Domini nostri ouibus opportuna pro animarum salute remedia adhibere minimè differamus.

Cùm itaque ad aures nostras peruenerit legitimum cambiorum vsum, quem necessitas, publicaque vtilitas induxit, sæpè numero ob illiciti quæstus cupiditatem depranari, vt sub illius prætextu, vsuraria prauitas à nonnullis exerceatur. Nos petitionibus, quæ super his nobis nuper factæ sunt, hac perpetuò valitura decretali respondendum esse duximus, vt neque dolosis sua fraus suffragetur, neque ignaros perdat inscitia; Sic enim Pastoris officium exequimur, dum gregem nobis commissum ab æternæ damnationis periculo eripere modis omnibus studemus.

Primo igitur damnamus ea Cambia, quæ

ficta nominantur, & ita confinguntur, vt contrahentes ad certas nundinas, seu ad alia loca Cambia celebrare simulant, ad quæ loca ij, qui pecuniam recipiunt, litteras quidem suas Cambij tradunt, sed non mittuntur, vel ita mittuntur, vt transacto tempore, vnde præcesserant, inanes referantur, aut etiam nullis huiusmodi litteris traditis pecunia ibi denique cum interesse reposcitur, vbi contractus fuerat celebratus, nàm inter dantes, & recipientes vsque à principio ita conuenerat, vel certè talis intentio erat, neque quisquam est, qui in nundinis, aut locis supradictis huiusmodi litteris receptis solutionem faciat. Cui malo simile illud est, cum pecuniæ, siue depositi, siue alio nomine ficti cambii traduntur, vt postea eodem in loco, vel alibi cum lucro restituantur. Sed & in ipsis Cambiis, quæ realia appellantur, interdum, vt ad nos perfertur, campsores præstitutum solutionis terminum, lucro, ex tacita, vel expressa conuentione, recepto, seu etiam tantummodo promisso, differunt. Quæ omnia nos vsuraria esse declaramus, & ne fiant districtius prohibemus. Porró ad tollendas quoque in Cambiis quantum cum Deo possumus, occasiones peccandi, fraudesque fœneratorum, statuimus, ne deinceps quisquam audeat, siue à principio, siuè aliàs certum, & determinatum interesse,

etiam in casu non solutionis paciſci, neque recta Cambia, quam pro primis nundinis, vbi illæ celebrantur, vbi verò non celebrantur pro primis terminis iuxta receptum locorum vſum exercere, abuſu illo prorsùs reiecto, cambia pro ſecundis, & deinceps nundinis ſiue terminis exercendi.

Curandum erit in terminis, vt ratio habeatur longinquitatis, & vicinitatis locorum, in quibus ſolutio deſtinatur, ne dum longiores præfiguntur, quàm loca deſtinatæ ſolutionis deſiderant, fœnerandi detur occaſio.

Quicumque contra hanc noſtram conſtitutionem commiſerit, pœnis à Sacris Canonibus contra vſurarios inflictis, ſe nouerint ſubiacere. Eos vero, qui conſpirationes fecerint, vel congeſtam vndiquè pecuniam ita ad ſe redegerint, vt quaſi monopolium pecuniæ facere videantur, pœnis, quæ à iure contra exercentes, monopolia conſtitutæ ſunt, retineri ſancimus.

Volumus autem quod præſentes litteræ in Camera Apoſtolica, & ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, & Cancellariæ etiam Apoſtolicæ publicentur, & in ipſa camera deſcribantur.

Eo quia difficile foret eas ad ſingula quæquè loca deferri, quod earum etiam ſumptis etiam impreſſis manu alicuius

eiuſdem.

eiusdem Cameræ, vel alterius Notarii subscriptis, & sigillo dictæ Cameræ, vel Prælati Ecclesiastici munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo primo quinto Calendas Febr. Pontificat. Nostri Anno VI.



CA-

CAPVT XXVII.

Aliqua Decreta Pij Quarti, Sixti V. & Clementis Octaui.

Damnatio Contractuum Societatis, Securitatem Capitalis, aut certam responsionem, aut aliter vsurariam prauitatem continentium.

SIXTVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.



Etestabilis auaritię ingluuies, & insatiabilis lucrandi cupiditas malorum omnium radix, vsque adeo excæcat mortalium mentes, vt multi nimis auide lucro inhiantes, in laqueos, & insidias diaboli miserè incidāt. Irrepit enim versutè, & callidè antiquus humani generis hostis per varios dolos, & fallacias, & incautos homines quæstus dulcedine captos, ac delinitos opprimit, atque eo perducit, vt se ipsos in vsurarum voraginem Deo, hominibusq; odiosam, sacris canonibus damnatam, & Christianæ Charitati contrariam fœde immer-

mer-

mergant, & dum vanas, & terrenas diuitias quærunt, veras, & cœlestes amittant, sicuti nuper cum magno dolore audiuimus hoc malum in quasdam Prouincias peruasisse. Nam multi speciosum, & honestum societatis nomen suis fœneratitijs contractibus prætexendo, hoc quasi, & fuco mercatoribus, opificibus, negotiatoribus, & alijs personis, super eorum mercibus, officinis, tabernis, pannarijs, alijsque rebus, ac bonis pecunias suas, aut alias res nomine societatis conferunt. Vel greges, armenta, aut certa animalia Agricolis, seu terrarum cultoribus, pastoribus, alijsque Rusticis, seu personis dant in societatem, siue ad soccidam, vt vocant, ea conditione, vt sors ipsa, seu caput, quod vulgo dicitur capitale tam pecuniarum, quàm animalium, & rerum saluum semper, & integrum existat pro eo, qui non industriam, aut operas, sed pecunias, animalia, aut res huiusmodi in societatem confert, vtque omne periculum, & damnum ab altero socio recipiente substineatur, contra æquitatem, & societatis iustitiam diuersimodè paciscuntur, eosdemq; socios, cum quibus contrahunt, plerumque pauperes, & egenos, suoque labore, & industria victitantes, ad sortem, seu Capitale restituendum, quicumque tandem casus, & rerum euentus consequatur, pacto & obligatione obstringunt, simulque etiam lucri quantitatem certam, & summam, veluti tot pro quolibet

bet centenario in singulos annos, aut menses per alterum socium, durante societate soluendam præfiniunt, ac præscribunt, eamque summam, & quantitatem non subductis rationibus accepti, & expensi quod in codices, seu tabulas societatis referri solet, neque facto calculo, vel computo pro ipsius lucri, vel damni modo variabilem, sed laborem, & curam computandi, & calculandi se inuicem remittere, & renunciare asserentes quouis tempore certam constituunt.

Proinde nos, qui hoc potissimum munus, nostræque pastoralis sollicitudinis maximè proprium arbitramur, vt Gregem Dominicum fidei nostræ creditum ab omni offensione, & æternæ vitæ discrimine tutum in viam salutis cælesti gratia adiutrice dirigere conemur, huiusmodi morbi contagionē antequam in communem fidelium perniciem latius serpat, quantum Deo fauente possumus tollere cupientes, de attributę nobis Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuò valitura cōstitutione damnamus, & reprobamus omnes, & quoscumque contractus, conuentiones, & pactiones posthac ineundos, seu ineūdas per quos, seu quas cauebitur personis, pecunias, animalia, aut quaslibet alias res societatis nomine tradentibus, vt etiam si fortuito casu, quamlibet jacturam, damnum, aut amissionem sequi contingat, sors ipsa, seu capitale sem-

per

per saluum, & integrum à socio recipiente restituatur, siue vt de certa quantitate, vel summa in singulos annos, aut menses durante societate respondeatur, statuimusque huiusmodi contractus, conuentiones, & pactiones vsurarios, & illicitos post hac censeri debere, atque imposterum non licere iis, qui pecunias vel animalia, aut alias res in societatem tradent, de certo lucro, vt præfertur, percipiendo inter se pacisci, & concordare, neque etiam siue ad certum, siue ad incertum lucrum conuenerint, socios, qui ea receperint ad sortem, seu Capitale saluum, & integrum, vbi illud casu fortuito perierit, vel amissum erit, reddendum quouis pacto, aut promissione sibi obligare, ac de cætero ne societates ineantur sub huiusmodi pactis, & conditionibus, quæ vsurariam prauitatem sapiunt districte interdicimus, & prohibemus.

Sed potius cuncti nouerint societates huiusmodi, cùm imposterum vnus pecuniam, animalia, aut alias res, & bona, alter verò operam, vel industriam confert purè, sincerè, & bona fide sicut decet, æquis, & iustis conditionibus, & pactis secundum Iuris dispositionem, ac sine vlla prorsus fraude, palliatione, aut vsurariæ prauitatis labe, aut suspicione ineundas, seu contrahendas esse. Ita vt non ad certam summam, aut quantitatem ab omni periculo, & damno, vt præfertur immunem, lucri nomine persoluendam,

dam, neque ad Capitale, si casu fortuito perit, restituendum, socius accipiens teneatur. Si verò finita societate ipsum Capitale extat, ei, qui illud in societatem contulerit, restituatur, nisi socio recipienti fuerit communicatum, aut aliter inter ipsos contrahentes super eo legitimè conuentum sit. Ac præterea iidem Contrahentes fructus, & expenpensas, & damna in commune conferant, & prout æquum, & iustum fuerit, sibi communicent atque diuidant.

Decernentes si qui contractus, conuentiones, & pactiones in futurum contra nostram huiusmodi prohibitionem de facto initi fuerint, nullam ex eis tamquàm per hanc eandem constitutionem nostram dãnatis, & reprobatis etiamsi iuramento, aut in forma Cameræ Apostolicæ, vel alias quomodolibet roborati fuerint, obligationem ciuilem, aut naturalem oriri, nullamque actionem realem, aut personalem, aut Iudicis officium, neque aliud quodcumque Ius cuiquam competere, neque quoad sortem, seù capitale integrum recuperandum, quod casu fortuito perierit, aut amissum erit, neque quoad certas summas, & quantitates in singulos annos, aut menses lucri socialis nomine promissas.

Si qui verò in posterum sub prædictis conditionibus, & pactis contrahere temerè præsumpserint, aut prætextu similium contractuum conuentionum, & pactionum societatis

ratis nomine initorum, qui huc vsque durant ad exactionem dictæ sortis, seu capitalis, siue illius pretij, & valoris postquam illud intoto, vel in parte casu fortuito perierit, aut amissum sit, aut certæ summæ, vel quantitatis annuæ, aut menstruæ sibi promissæ in futurum procedere ausi fuerint, eos vniuersos, & singulos in pœnas contra manifestos vsurarios, & fœneratores, via Iuris, alijsque opportunis remedijs procedi posse, & debere.

Sicque ab omnibus censeri, & ità quoad præmissa vniuersa, & singula per quoscumque Iudices, & Commissarios quauis auctoritate fungentes, etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, vbique iudicari, & definiri debere, nec non irritum, & inane si secus super his per quoscumque quauis auctoritate scientèr, vel ignoranter contigerit attentari.

Mandamus verò vniuersis, & singulis locorum Ordinarijs per quascumque Prouincias, & Regna Christiani orbis Constitutis, & quibusuis nostris, & Sedis Apostolicæ etiam de latere legatis, ac vicelegatis, cæterisque officialibus præsertim Prouinciarum, & locorum Status nostri Ecclesiastici, vt in suisquisq; Ciuitatibus, Diœcesibus, Prouincijs, & locis præsentem nostram constitutio-

tutionem publicari, & inuiolatè obseruari curent, & contra personas, quæ in futurum præter, & contra prohibitionem hanc nostram pacisci, aut exigere a usæ fuerint, tamquam publicos vsurarios, & fœneratores per viam accusationis, vel denunciationis, aut inquisitionis, vt ex mero officio, prout eis videbitur procedant, eosque culpabiles repertos, condignis pœnis, vt supra dictum est, afficiant, inuocato etiam, si opus fuerit, brachij sæcularis auxilio.

Non obstantibus quarumcumque Ciuitatum, Prouinciarum, & locorum iuramento confirmationis Apostolicæ, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis quorumcumque tenorum existant, siue per modum constitutionis, & legis perpetuæ quomodolibet concessis etiam sæpius approbatis, & innouatis, quæ omnia nolumus cuiquã de cætero suffragari.

Vt autem præsentes litteræ ad omnium notitiam deducantur, neue aliquis earum ignorantiam prætendere valeat, volumus, vt illæ in valuis Basilicarum Principis Apostolorum de vrbe, & Sancti Ioannis Lateranen. & Cancellariæ Apostolicæ, atque in acie Campi Floræ per aliquem ex nostris Cursoribus de more publicentur, dimissis, & affixis earum exemplis in acie, & valuis prædictis.

Earumque transumptis etiam impressis Notarij publici manu subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra illud, vbique gentium, & locorum habeatur, quæ eisdem originalibus haberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud S. Marcum anno Incarnationis Dominicæ 1586. duodecimo Kalendas Nouembris Pontificatus nostri anno secnndo.

Damnatio Coniugiorum per Eunuchos, & Spadones contractorum, & contrahendorum.

SIXTVS PAPA QVINTVS

Venerabili Fratri Episcopo Nouarien, nostro, & Sedis Apostolicæ in Regnis Hispaniarum Nuncio.

CVM frequenter in istis Regionibus Eunuchi quidam, & Spadones, qui vtroque teste carent, & ideò certum, ac manifestum est eos verum semen emittere non posse, quia impura carnis tentigine, atque immundis complexibus cum mulieribus se commiscent, & humorem forsan quendam similem semini, licet ad generationem, & matrimonij causam minimè aptum effundunt,

dunt, matrimonia cũ mulieribus præsertim hunc ipsum eorum defectum scientibus cõtrahere præsumant, idque sibi licere pertinacitèr contendant, & super hoc diuersæ lites, & controuersiæ. ad tuum,& Ecclesiasticum forum deducuntur, requisiuit à nobis fraternitas tua, quid de huiusmodi connubijs sit statuendum.

Nos igitur attendentes, quod secundum canonicas sanctiones, & naturæ rationem, qui frigidæ naturæ sunt, & impotentes ijdẽ minimè apti ad contrahenda matrimonia reputantur, quodque prædicti Eunuchi,aut Spadones, quas tamquam vxores habere nõ possunt,easdem habere, vt sorores nolunt, quia experientia docet, tam ipsos dum se potentes ad coeundum iactitant, quàm mulieres, quæ eis nubunt, non vt castè viuant, sed vt carnaliter inuicem coniungantur praua,& libidiniosa intentione sub prætextu,& in figura matrimonij turpes huiusmodi cõmixtiones affectare,quæ cum peccati,& scãdali occasionem præbeant,& in animarum damnationem tendant, sunt ab Ecclesia Dei prorsùs exterminandæ.

Et insuper considerantes, quod ex Spadonum huiusmodi,& Eunuchorum coniugijs nulla vtilitas prouenit, sed potius tentationum illecebræ, & incentiua libidinis oriuntur, eidem fraternitati tuæ per præsentes committimus, & mandamus,vt coniugia per prædictos, & alios quoscumque Eunu-

chos, & Spadones vtroque teste carentes cū quibusuis mulieribus defectum prædictum siue ignorantibus, siue etiam scientibus cōtrahi prohibeas, eosque ad matrimonia quomodocumque contrahēda inhabiles auctoritate nostra declares, & tam locorum Ordinarijs ne huiusmodi coniunctiones de cætero fieri quoquomodo permittant, interdicas, quam eos etiam, qui sic de facto matrimonium contraxerint, separari cures, & matrimonia ipsa sic de facto contracta nulla, irrita, & inualida esse decernas.

Eos etiam qui sic iam contraxerunt, si appareat illos non vt castè simul viuant contraxisse, sed actibus carnalibus, & libidinosis operam dare simulquè in vno, & eodem lecto cum prædictis mulieribus dormire conuincantur, omninò similiter separari cures;

Nos enim ita in præmissis, & non aliter per quoscumque Iudices, & Commissarios quacumque auctoritate, & dignitate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate in quacumque causa, & instantia iudicari, & diffiniri debere, & si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter attentatum forsan hactenus, vel attentari in posterum contigerit, irritum, & inane decernimus.

Non obstantibus quibusuis Ciuitatis, Prouinciæ, aut Regni Statutis, legibus munici-

cipalibus, aut consuetudinibus, quæ abusus potius, & corruptelæ censendæ sunt etiamsi ab immemorabili tempore obseruatæ dicantur, cæterisque contrarijs quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Marcum sub annulo Piscatoris die 27. Iunij millesimo quingentesimo octuagesimo septimo Pontificatus nostri anno tertio.

Declarato quod non liceat per litteras, seù internuntium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & eodem absente absolutionem obtineri, & prohibitio hanc propositionem docendi defendendi &c.

SAnctissimus D. N. D. Clemens Papa VIII. &c. auditis votis Patrum Theologorum, & re cum Illustriss. & Reuerendss. DD. Cardinalibus contra hæreticam prauitatem generalibus Inquisitoribus maturè, ac diligenter considerata.


Hanc propositionem scilicet licere per litteras, seu Internuntium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus vti falsam, & temerariam, ac scandalosam damnauit, ac prohibuit.

Præcepitque ne deinceps ista propositio publicis, priuatisque lectionibus, concionibus, & congressibus doceatur, neue vnquam tamquam aliquo casu probabilis defendatur,

imprimatur,aut ad praxim quouis modo deducatur, quod si quis illã docuerit,defenderit,imprimi fecerit, aut de ea etiam disputatiuè tractauerit (nisi forsan impugnando) vel ad praxim directè, vel indirectè deduxerit prçter excommunicationem latæ sententiæ, quàm ipso facto incurrat, & à qua non possit (prætetquàm in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente etiam S.R.E.maiori Pœnitentiario, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolui, aliјs etiam pœnis arbitrio infligendis subiaceat.

In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico in Monte Quirinali die 20. mensis Iunij 1602.

Quintilianus Adrianus Not.



BVL:

BVLLA S. D. N. D. PII,

Diuina Prouidentia Papæ IV.

Super forma iuramenti professionis fidei.

PIVS EPISCOPVS,

Seruus Seruorum Dei,

Ad Perpetuam rei memoriam.



Niunctum nobis Apostolicę seruitutis officium requirit, vt ea quæ Dominus omnipotens, ad prouidam Ecclesiæ suæ directionem Sanctis Patribus, in nomine suo congregatis, diuinitus inspirare dignatus est, ad eius laudem,& gloriam incunctanter exequi properemus. Cum itaque iuxta Concilij Tridentini dispositionem, omnes,quos deinceps cathedralibus,& superioribus Ecclesijs præfici, vel quibus de illarum dignitatibus, canonicatibus, & alijs quibuscumquè beneficijs Ecclesiasticis, curam animarum habentibus, prouideri contingit, publicam orthodoxæ fidei professionem facere,seque in Romanę Ecclesiæ obedientia permansuros spondere, & iurare, teneantur: Nos volentes, etiam per quoscumque, quibus de monasterijs, conuentibus,

domibus, & aliis quibuſcumque locis, Regularium quorumcumque Ordinum, etiam Militiarum, quocumque nomine veltitulo prouidebitur, idem ſeruari, & ad hoc, vt vnius eiuſdem fidei profeſſio vniformiter ab omnibus exhibeatur, vnicaque & certa illius forma cunctis innoteſcat, noſtræ ſolicitudinis partes, in hoc aliqui minimè deſiderari, formam ipſam præſentibus annotatã, publicari, & vbique gentium per eos, ad quos ex decretis ipſius Concilij, & alios prędictos ſpectat, recipi, & obſeruari, ac ſub pœnis per Concilium ipſum in contrauenientes latis, iuxta hanc & non aliam formam, profeſſionem prędictam ſolemniter fieri auctoritate Apoſtolica tenore præſentium diſtrictè præcipiendo mandamus, huiuſmodi ſub tenore, Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Eccleſia vtitur, videlicet, Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli, & terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium, & in vnum Dominum Ieſum Chriſtum, Filium Dei vnigenitum, & ex patre natum ante omnia ſæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deũ verum de Deo vero, genitum, non factum, conſubſtantialem patri, per quẽ omnia facta ſunt: qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis, & incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt, crucifixus etiam

etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est, & resurrexit tertia die secundum Scripturas, & ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris, & iterum venturus est cum gloria iudicare viuos & mortuos, cuius regni non erit finis: & in Spiritum Sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, Filioque procedit: qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur. qui locutus est per Prophetas: & vnam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum, & expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi, Amē. Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiæ obseruationes, & constitutiones firmissimè admitto, & amplector. Item Sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum scripturarum, admitto: nec eam vnquam nisi iuxta vnanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque septem esse verè & propriè sacramenta nouæ legis à Iesu Christo, Domino nostro, instituta, atque ad salutem humani generis, licèt non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, confirmationem, Eucharistiam, Pœnitētiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium: illaque gratiam conferre, & ex his Baptismum, Confirmationem, & Or-

Ordinem,sine sacrilegio reiterari non posse, Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus, in supradictorum omnium sacramentorum solenni administratione recipio, & admitto: Omnia, & singula, quæ de peccato originali, & de iustificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo declarata fuerunt, amplector, & recipio: Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, propriū, & propitiatorium sacrificium, pro viuis, & defunctis, atque in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse, verè, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem, vna cum anima, & diuinitate Domini nostri Iesu Christi, fieri conuersionem totius substantiæ panis, in corpus, totius substantiæ vini, in sanguinem, quam conuersionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fideliū suffragiis iuuari. Similiter & Sanctos vna cū Christo regnantes, venerandos atque inuocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissimè assero imagines Christi, ac Deiparæ semper virginis, necnon aliorū sanctorum habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam: Indulgentiarum etiam potestatem, à Christo in Ecclesia relictam fuisse

ſe illarumque vſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe, affirmo: Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam, omnium Eccleſiarum matrem, & magiſtram agnoſco: Romanoque Pontifici, Beati Petri, Apoſtolorum Principis, Succeſſori, ac Ieſu Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo, ac iuro: Cætera item omnia à Sacris Canonibus, & Oecumenicis Concilijs, ac præcipuè à Sacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio atque profiteor, ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque ab Eccleſia dãnatas, & reiectas & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, & anathematizo: Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo ſaluus eſſe poteſt, quam in præſenti ſpontè profiteor, & veraciter teneo, eandem integram & inuiolatam, vſque ad extremum vitæ ſpiritum, conſtantiſſimè (Deo adiuuante) retinere, & confiteri, atque à meis ſubditis vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. ſpondeo, voueo, ac iuro: Sic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia. Volumus autẽ, quod præſentes litteras, in Cancellaria noſtra Apoſtolica, de more, legantur: Et vt omnibus faciliùs pateant, in eius Quinterno deſcribantur, ac etiam imprimantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ

vo-

voluntatis, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum, Petri, & Pauli, Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicę 1564. Idibus Nouemb. Pontificatus nostri Anno quinto.

Fed. Cardinalis Cæsius.

Ca. Glorierius.

Lectę, & publicatæ fuerunt supra scriptæ litterę Romanæ, in Cancellaria Apostolica, anno Incarnationis Dominicæ 1564. Die verò Sabbati, nona mensis Decembris Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri, Domini Pij Papæ Quarti, anno quarto.

A. Lomellinus Custos.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX RERVM, ET VERBORVM.

A

BA-

B

C

D

E

F

G

H

M

Ne-

N.

O.

Oro-

Digitized by Google

Pœ-

Reſor-

R

S

Spi-

T

V

ERRA-

Digitized by Google

ERRATA SIC CORRIGE.

pag.	versu	errata	corrige
30	18	bonos	boni
44	2	Synodo secunda	Synodum secundam
56	13	ediđione	editione
74	26	desiisse	desiisset
125	19	præmjur	premimur
127	7	falfis	falsis
ibidem	31	credulitas	crudelitas
142	26	præmissis	permissis
246	15	meriris	meritis
414	20	Iacobi	Petri
421	14	ñi	iri
430	1	sensisse	sensisset
447	30	præcpimus	præcipimus
451	2	ganduno	Ianduno
490	3	Pij V.	Pij IV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Primula pansenia pag 303

